MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80180-13

AUTHOR:

ROHRMANN, W.

TITLE:

ORATIO QUAE EST
CONTRA MACARTATUM

PLACE:

GOTTINGAE

DATE:

1875

Master Negative #

91-80180-13

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Rohrmann, W.

Oratio quae est contra Macartatum num Demosthenis esse judicanda sit. Dissertatio inauguralis quam ... scripsit W. Rohrmann ... Gottingae, Officina academica Huthiana, 1875.

59 p. 21½ cm.

Thesis, Göttingen.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 8/14/91 INITIALS ER

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

Inches

ORATIO
QUAE EST CONTRA MACARTATUM
NUM
DEMOSTHENIS ESSE JUDICANDA SIT.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

AUCTORITATE ATQUE CONSENSU

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES CAPESSENDOS

IN

ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA

SCRIPSIT

W. ROHRMANN

OSTERODANUS.

GOTTINGAE,

TYPIS EXPRESSIT OFFICINA ACADEMICA HUTHIANA.

MDCCCLXXV.

HERMANNO SAUPPIO

ERNESTO DE LEUTSCH

GRATO PIOQUE ANIMO

DEDICAT AUCTOR.

Pars prima.

Nulla fit, quod sciamus, apud veteres lexicographos vel grammaticos vel in ipsis criticorum ut Dionysii scriptis orationis in Macartatum mentio, qua appareat, jam eorum vel huic vel illi animum in dubio fuisse, utrum eam Demosthenis esse arbitraretur necne [1]). Neque etiam, qui post renatas literas Demosthenis orationibus explicandis operam dederunt, hanc quaestionem moverunt: satis illi et in ordine verborum secundum codices constituendo et in rebus explicandis illustrandisque occupati erant. Primi demosthenicam orationis originem in dubium vocaverunt aut potius negaverunt G. E. Benselerus et A. Schaeferus. Prior ille nisus Ciceronis oratoris capite 44 paragrapho 151: „in ea est (sc. oratione) crebra ista vocalium concursio, quam magna ex parte ut vitiosam fugit Demosthenes“, et Quintiliano IX, 4, 35: „ut neglegentiae pars hoc pati (sc. vocales hiatu committere), ita humilitatis ubique perhorrescere, nimiosque non immerito in hac cura putant omnes Isocratem secutos praecipueque Theopompum. At Demosthenes et Cicero modice respexerunt ad hanc partem etc.“ accuratissimam de hiatu disquisitionem [2]) in oratoribus atticis instituit, qua ad eam devenit sententiam, ut magnam quae esse Demosthenis judicabantur orationum partem, eas-

1) Dion. Hal. περὶ τῆς λεκτικῆς Δημ. δειν. cp. 13.

2) Cf. Benselerum, de hiatu in Demosthenis orationibus. Frib. 1848 et de hiatu Lipsiae 1841.

dem, quas postea aliis rationibus ductus A. Schaeferus, exceptis certa quadam parte Philippicae quartae, oratione funebri — quamquam de hac dubius erat — tertia contra Aphobum, oratione in Zenothemim, prima contra Stephanum Demostheni abjudicaret. Posterior conscripsit opus illud tribus voluminibus constans de Demosthene et rebus, quae quo tempore vixit gestae sunt, copiosissimum et ob id ipsum omnibus, qui Demosthenem amant inque ejus orationibus cognoscendis studium suum collocarunt, jucundissimum, cujus tertii voluminis parte altera disputavit etiam de orationibus, quae in privatis causis habitae sunt, et ita quidem, ut, cum eum haud fugeret ad eas recte intellegendas utrum Demosthenis haberentur necne multum valere, in uniuscujusque natura ac vi perspicienda nobis omnibus acceptissimam operam poneret. Si quis uno obtutu quemadmodum de orationibus judicaverit Schaeferus cognoscere voluerit, adito voluminis tertii partem alteram, pag. 316, qua judicia ejus sub unum conspectum conducta sunt.

Ex orationum in privatis causis habitarum numero, si quas Demosthenes contra tutores habuit exceperis, non nisi septem Demosthenis nomine dignas judicavit: orationes contra Spudiam, Calliclem, Cononem, pro Phormione, adversus Boeotum de nomine, Pantaenetum, Nausimachum et Xenopithem. Et mihi quidem rectissime videtur repudiavisse ceteras; quamquam si ea tantum legissem, quae Schaeferus ad sententiae suae veritatem demonstrandam disputavit, minime devenissem ad hanc persuasionem. Cujus rei causa posita est in eo, quod Schaeferum suscepti laboris magnitudo non sivit esse accuratissimum in minutissimis illis rebus omnibus enumerandis exponendisque, quae, si quis de probabili origine orationis alicujus firmo sibi persuadere voluerit, ut distincte atque enucleate quaesiverit indagaveritque opus est.

At quaerat quispiam fortasse, quemadmodum fieri possit, ut tot orationes tam parvi habeantur Demostheneque indignae putentur, quae Callimachi Cyrenaei judicio Demostheni adscriptae sunt? Sed quam temere atque inconsi-

derate ille, quem oratorum taederet, poetae vero vel maxime delectarent, in illa *ἀναγραφῇ τῶν ῥητορικῶν συγγραμμάτων* versatus sit, jam ex unius Dionysii Halicarnassensis verbis in capite primo judicii, quod de Dinarcho conscripsit, propositis: „Disputo etiam de Dinarcho *ἅμα δὲ ὁρῶν οὐδὲν ἀκριβὲς οὔτε Καλλίμαχον οὔτε τοὺς ἐκ Περγάμου γραμματικοὺς περὶ αὐτοῦ γράψαντας, ἀλλὰ παρὰ τὸ μηδὲν ἐξετάσαι περὶ αὐτοῦ τῶν ἀκριβεστέρων ἡμαρτηκότας ὡς μὴ μόνον ἐψεῦσθαι πολλά, ἀλλὰ καὶ λόγους τοὺς οὐδὲν μὲν αὐτῷ προσήκοντας ὡς Δεινάρχου τούτῳ προστίθεσθαι, τοὺς δ' ὑπ' αὐτοῦ γραφέντας ἑτέρων εἶναι λέγειν*" satis perspicere possumus. Quam hoc vere dixerit Dionysius videmus, si hujus ipsius de orationibus judicandi rationem levissimam consideramus, qua usus nihilominus Callimachum saepe aperti erroris convicit[1]). Quemadmodum factum esset, ut Callimachus in dijudicandis oratorum atticorum operibus et secundum haec judicia ordinandis fere nullam industriam ostenderet, paucis, sed ad rem accommodate dixit Rhedantzius apud Schaeferum vol. III, p. II, pag. 217. Cum igitur Callimachum summa *ἀκρισίᾳ* in oratoribus versatum esse audiamus et Dionysii aliorum quaestionibus levissime institutis confirmatum hoc videamus, nonne, si ad veritatem accedere voluerimus, consentaneum est, ut, priusquam ullam orationem Demosthenis esse agnoscamus, quam accuratissime possimus ejus vim ac naturam cognoscere studeamus? Hominis judicio vel fide sine judicio Demostheni quae ad nostram memoriam pervenerunt orationes tributae sunt, ergo etiam hominum judiciis, modo firmioribus utantur et consideratioribus argumentis, id quod certe non est difficile ad assequendum, derogari possunt. Si nos vero accuratioribus disquisitionibus institutis, quam eae sunt, quas jam veteres instituerunt, multo plures ab Demosthene scriptas esse non posse invenimus, num hoc mirum cuiquam jure videri potest? Ego vero censeo, non posse.

Ex his, quae breviter exposui, consequens est, ut mihi

---

1) Cf. de Dinarcho judicium cp. XI et cp. XIII.

et Benselerus et Schaeferus utilissimam demosthenicis orationibus operam videantur praestitisse. Tametsi vero nullo modo negari potest, eorum industria atque diligentia nos magnos fecisse progressus in orationibus veris demothenicis cognoscendis et ab falsis suppositisque illis distinguendis, tamen etiam libere profitendum est, non omnia jam absoluta ac perfecta esse, ita ut nihil reliquum sit, quod investigetur; nam Benselerus solas vocalium concursationes observavit eisque observatis judicavit, Schaeferus de his rebus magis ut ita dicam *ἐν παρέργῳ* disputavit, plurimum autem laboris et diligentiae in contionibus, in orationibus in publicis causis habitis, in rebus ad historiam illius temporis spectantibus illustrandis, quae sane graviores sunt et magis nos tenent, consumpsit. Itaque, ut id quod sentio apertius dicam, videntur illi verum quidem sensisse, neque vero tam accurate et copiose literis mandavisse, ut, si quis id legat, ei statim scrupuli omnes ex animo eximantur. Quae cum ita sint, si orationi contra Macartatum quantum hoc tempore possim operam dem, eam non prorsus irritam fore spero.

Jam de oratione ipsa videbimus. Est oratio in causa privata habita et quidem in causa hereditaria. Causae hereditariae vero cum natura sua satis complicatae sint et de hac praeter ceteras valere hoc videatur, priusquam ad orationem ipsam accedamus considerandam, necessario videtur de Buselidum genere, quod ex hac et Isaei[1]) oratione cognoscimus, dicendum esse.

Quibus rebus antea non expeditis si adimus orationem, ubique haeremus; sin autem tota cognatione illa accurate cognita ad eam aggredimur, animus inter legendum novitate rerum minus conturbatur, possumus igitur sperare, si ulla, nos hac ratione facultatem adepturos esse causam perspiciendi ac de jure eorum, qui de Hagniae hereditate litigarunt, judicandi. Haec autem facultas etiam augebitur, si antequam ad ipsam orationem, qua facile aliquis in

1) Cf. Isaeum de Hagniae hereditate.

errorem possit induci, considerandam accedamus, ex legibus, quas fuisse et valuisse in causis hereditariis ex Isaei orationibus compertum habemus, cum animo nostro conati erimus statuere, utrum eorum, qui litigant, Hagniae hereditatem possidere conveniat. Haec igitur nunc faciemus.

Buselus quidam Oeensis[1]) quinque procreavit filios Hagniam, Eubulidem, Stratium, Habronem, Cleocritum, qui fratres germani fuisse, quia in oratione, quamquam hoc non erat nullius momenti, contrarium non dicitur, putandi sunt. Ex horum numero Hagnias filium habuit Polemonem et filiam Phylomachen; Eubulides duos filios Philagrum et Callistratum; Stratius item filios duos, Phanostratum et Charidemum; Habro filiam, cujus nomen non comperimus. Cleocriti liberi non commemorantur. Hi liberi omnes cum a fratribus geniti essent, fuerunt *ἀνιψιοὶ καὶ ἀνιψιαὶ ἐκ πατραδέλφων*[2]), quod nomen latine 'consobrini et consobrinae e fratribus oriundi' sive 'fratres et sorores patrueles'[3]) reddere possumus. Horum rursus liberi fuerunt Polemonis e Phanostrati filia filius Hagnias II et filia, cujus nomen ignoramus (haec posterior et filia, quam habuit, apud Isaeum tantum in oratione de Hagniae hereditate[4]) commemorantur); Philagri e Phylomache, Polemonis sorore, ejus consobrina, filius Eubulides II; Callistrati, qui Habronis filiae filiam duxerat, filia, cujus nomen nobis ignotum est; Phanostrati filius Stratius II, qui apud Isaeum tantum memoratur[5]), et filia Polemoni in matrimonium collocata; Charidemi denique Theopompus et Stratocles[6]), posterior ex uno Isaeo notus. Hi inter se, si paternam tantum cognationem spectaveris, omnes fuerunt sobrini[7]), *ἀνεψιαδοὶ* sive *ἀνεψιῶν παῖδες*; si maternam quoque cognationem re-

1) Cf. contra Macart. pg. 1055, § 19 seqq.
2) Cf. Is. de Hag. her. pg. 84, § 8.
3) Cf. Inst. instit. lib. III, tit. VI, § 4.
4) Cf. Is. de Hag. her. pg. 85, § 8 et 9.
5) Ibid. pg 84, § 8; pg. 85 § 10.
6) Ibid. pg. 84 § 8; 85 § 10; 86 § 20; aliis l.
7) Cf. Just. inst. lib. III, tit. VI § 6.

spexeris, Eubulides II erat Hagniae II etiam amitinus, quia illi duo ex fratre et sorore progenerati erant. Post Polemonis mortem uxor ejus relicta, filia Phanostrati, denuo nupsit, ex quo matrimonio duo filii prodierunt, Glaucus et Glauco, quorum prioris[1]) apud Isaeum non fit mentio, quamquam fratres uterinos Hagniae II illos fuisse ex hoc tantum scimus. Eubulides II filiam genuit Phylomachen II; Callistrati vero filia, Sosiae cuidam in matrimonium collocata duos filios, Sositheum ejusque fratrem peperit, quorum prior Phylomachen II, sobrinam suam a matre duxit ex eaque quattuor procreavit filios Sosiam, Eubulidem III, Menestheum, Callistratum, unam filiam, quae non denominatur. Etiam frater Sosithei filium genuit, cui Sositheus filiam suam collocat. Stratius II quoque filios habuit, neque tamen comperimus, quot et quibus fuerint nominibus. Eodem modo Stratocles unum filium et quattuor filias progeneravit, quorum nomina desunt. Theopompus vero, Stratoclis frater, Apolexis Prospaltensis filiam, Macartati sororem, duxit, quae duos ei peperit filios Macartatum aliumque ignoti nominis. Etiam Macartati, Theopompi filii, filius fuit, quo nomine, nescimus. Hoc erat genus Buselidum, quantum ex Isaeo et oratione contra Macartatum nobis notum est.

Priusquam vero orationem ipsam adeamus et quaeramus, quemadmodum comparata sit, utile est, ut res omnes ad hanc causam pertinentes, quas vel ex Isaeo vel oratione contra Macartatum comperimus et quibus non cognitis de hac posteriore judicare non poterimus, paucis exponam.

Res quae agitur et in Isaei et in demosthenica quae dicitur oratione est Hagniae II hereditas. Hic enim Hagnias II moritur, liberos ille quidem non habens, sed sororem, cujus filiam testamento adoptat bonorumque suorum omnium heredem facit. Tempore vero aliquo post haec puella moritur, priusquam in matrimonium collocata fuit. Tum Hagniae II fratres uterini Glaucus et Glauco

---

1) Cf. Is. de Hag. h. pg. 85 § 8 et 9.

prodeunt testamentum afferentes, quo pateret, ad se Hagniam voluisse hereditatem deferri, si quid accidisset sororis filiae, priusquam liberos peperisset, et capiunt bona. Contra hos vero *κατὰ διαθήκας* bonis illis potitos Sositheus nomine uxoris Phylomaches II litem intendit, persuadet judicibus, testamentum quod protulissent suppositum esse et *κατ' ἀγχιστείαν*[1]) bona uxoris suae esse. Hereditas mulieri adjudicatur. Sed ne haec quidem diu permanet in possessione bonorum. Tempore enim aliquo interjecto Theopompus, Hagniae minoris sobrinus a patre, et alii, in quibus nominandis cum Isaeus[2]) et auctor[3]) orationis, de qua agimus, non congruant, quid verisimilius sit, accuratius hoc loco examinare non possum, bona petunt et Theopompus ut sibi adjudicentur efficit. Hanc judicum sententiam Sositheus non statim, sed annis nescimus quot interjectis, Theopompo jam mortuo, sibi vero altero filio Eubulide III nato[4]), quem in uxoris Phylomaches II patris jam mortui Eubulidis II phratriam induxerat eo consilio, ut ab eo adoptatus esse videretur, nomine hujus ut Eubulidis II filii adoptivi irritam facere et Macartato, Theopompi filio, bona jam a patre possessa eripere conatur. His rebus breviter enarratis facultatem jam habemus cognoscendi, quae sint ea, in quibus tota causa posita sit: Sositheo non modo probandum esse, sibi cognatione ex legibus hereditariis optimum in Hagniae II bona jus esse, sed sibi etiam tum, cum inter eosdem de hac hereditate controversia jam antea fuerit[5]), ex legibus licere petere.

Videamus de cognatione quid dicendum sit. Hagnia II sine liberis a natura datis mortuo certe proximum jus hereditatis adeundae sororis filiae[6]) quam adoptaverat fuit.

---

1) Cf. Bunsen, de jure hereditario Atheniensium cp. I, tit. I part. I, pg. 14 seqq.
2) Cf. Is. de Hag. her. pg. 85 § 10; 86 § 17.
3) Cf. contra Macart. pg. 1052 § 7.
4) Ibid. pg. 1053 § 11.
5) Cf. Meierum et Schoemannum de lite attica pg. 754 seqq.
6) Cf. Bunsen, de jure her. Ath. l. citato.

In hanc igitur nemo ausus est impetum facere. Illa vero mortua Glauco et Glaucus, Hagniae II fratres uterini, in locum ejus succedere student. His vero cognatione nullum in hereditatem jus suppetebat, quoad paterni cognati usque ad consobrinorum filios supererant. Lex [1]) enim erat: *Ἐὰν δὲ μηδεὶς ᾖ πρὸς παπρὸς μέχρι ἀνιφιῶν παίδων, τοὺς πρὸς μητρὸς κυρίους εἶναι κατὰ τὰ αὐτά.* Ejusmodi igitur cognati cum essent, testamentum vero quod attulissent falsum esse judicibus visum esset, jure ab hereditate exclusi sunt. *Πρὸς ἀνδρῶν* eodem cognationis gradu, hoc est sexto gradu, cum Hagnia II conjuncti erant Eubulides II, Stratius II, Stratocles, Theopompus; erant omnes Hagniae sobrini et quidem ita, ut per solos viros, neque vero per mulieres interpositas inter se essent cognati, ad quod genus cognationis significandum Romani peculiari utebantur nomine adgnationis. Donec horum aliquis in vita remanebat, nemo ceterorum cognatorum de Hagniae II bonis sibi vindicandis cogitare poterat; lex enim jubebat *κρατεῖν τοὺς ἄρρενας καὶ τοὺς ἐκ τῶν ἀρρένων.* Sed Eubulidi II non haec tantum cognatio *πρὸς ἀνδρῶν* fuit cum Hagnia II, sed altera accedebat *πρὸς μητρός*: erat Hagniae II amitae, Phylomaches I, filius, hoc est amitinus. Duplex igitur ei cum Hagnia II intercedebat cognatio: a patre eum sexto, a matre quarto attingebat cognationis gradu, quamquam tenendum est, non ex una propinquitate gradus apud Atticos jus hereditarium pependisse. Etiam Stratio II duplex cum Hagnia II erat cognatio, neque tamen ea, cui melius jus hereditatis capiendae tribuerunt leges quam Eubulidi II. Etenim non modo Hagniae II sobrinus erat *πρὸς ἀνδρῶν*, verum etiam avunculus, propterea quod Hagnias II sorore ejus utebatur matre. Itaque et sexto gradu ejus adgnatus, tertio cognatus erat. Si igitur hi quattuor una petivissent Hagniae II hereditatem, certe Eubulides II et Stratius II jure Theopompum et Stratoclem antecedere putandi erant. Uter eorum meliore jure futurus fuerit, non est hujus loci quaerere. Sed nun-

1) Cf. Is. de Hag. her. pg. 85 § 11.

quam hi quattuor simul petiverunt Hagniae II bona. Etenim Hagniae II filia adoptata cum obisset et Glauco et Glaucus testamento bonis potiti essent, itaque, ex cognatorum numero si quis falsum esse testamentum probare se posse confideret, potestas data esset hereditatis titulo cognationis petendae, Eubulides II non jam fuit in vita, id quod concludi potest ex eo, quod non is, sed filia ejus Phylomache II Hagniae hereditatem petiit, quod certe factum non esset, si Eubulides II vivus fuisset. Cum falsum testamentum esse judices censuissent neque alii, qui peterent, essent, fieri non potuit, quin Phylomachae II hereditas adjudicaretur. In hanc parant litem uno tempore Stratius II, Stratocles, Theopompus, Isaeo [1]) si credimus, moriuntur vero duo priores ante causam in judicium deductam, ita ut solus relinquatur Theopompus, qui hereditatem sibi petat. Hic tum unus ex sobrinis *πρὸς ἀνδρῶν* superest. Nunc igitur quaeritur, uter eorum Theopompus an Phylomache II meliore jure fuerit. Ac mihi quidem Theopompus fuisse videtur. Si Theopompus et Eubulides II una petivissent bona, id quod paulo antea monebam, non videtur mihi dubium esse posse, utri ex aequo et justo adjudicanda fuerint. Eubulide II autem mortuo res prorsus alia est: Phylomache II, si cognationem *πρὸς ἀνδρῶν* spectaveris, non jam est in numero eorum, quos lex heredes fieri jubet. *Μέχρι τῶν ἀνεψιῶν παίδων* ex lege ab intestato ad hereditatem vocantur, hoc est usque ad sextum gradum cognationis [2]), Phylomache II autem septimo tantum tangit Hagniam II, est ejus *ἀνεψιαδοῦ παῖς*, lege igitur excluditur.

Sic etiam heliastas judicavisse, ex Isaei oratione de Hagniae hereditate comperimus, qua Theopompum contra tutorem filii Stratoclis, qui ut dimidia pars Hagniae hereditatis pupillo tradatur postulat, hac eadem usum defensione: ex lege *ἀνεψιαδοῖς* postremis jus esse hereditatum petendarum; puerum autem istum uno gradu esse remotio-

1) Is. de Hag. her. pg. 85 § 10.
2) Ibid. pg. 84 § 2.

rem: esse ἀνεψιαδοῦ παῖδα; esse igitur ἔξω τῆς ἀγχιστείας, neque amplius juris illius participem, vicisse incertum nobis esse non potest, cum tempore eo, quo oratio, in qua versamur tractanda, habita est, etiam sit in possessione bonorum. Potest igitur Phylomache II altera tantum cognatione, quae Philagri Phylomachesque majoris matrimonio orta est, qua revera Hagniae II est ἀνεψιοῦ παῖς, quinto gradu eum attingit, niti. Haec vero cognatio non per solos viros conficitur, sed mulier, Phylomache I, interposita est, ita ut ex parte cognatio sit πρὸς γυναικῶν. Accedit quod Phylomache II, quae sibi vindicat hereditatem, id quod non nihili faciendum est ex legum atticarum vi ac natura, mulier, non vir est. Haec igitur vitia, quae cognationi Phylomaches II inhaerent, frustra in Theopompo quaesiveris. Is πρὸς ἀνδρῶν Hagniae II ἀνεψιοῦ παῖς est, quam cognationem a parte virili non jam valere in Phylomache II vidimus. Praeterea ipse vir petit bona, quod in Phylomache II desideratur. Ergo, tametsi non duplex ei cognatio est cum Hagnia II ut Phylomachae II, tamen est ei ejusmodi cognatio simplex, cui plus tribuerint leges atticae juris quam duplici illi, quibus hoc imprimis sanctum et statutum fuit: κρατεῖν τοὺς ἄῤῥενας καὶ τοὺς ἐκ τῶν ἀῤῥένων [1]). Phylomache II et Theopompus bona Hagniae II petunt. Uterque eorum est sane Hagniae ἀνεψιοῦ παῖς, neque tamen eadem ratione, sed Theopompus per solas generationes, Phylomache II per partum interpositum. Theopompus vir, Phylomache II mulier petit. Nonne igitur apertum est, Theopompum ex Atticorum legibus Phylomachen II jure antecedere? —

Ad hanc sententiam meam firmandam liceat etiam Romanorum instituta comparare. Apud hos enim primis temporibus ex lege duodecim tabularum non nisi adgnati [2]) gentilesque jus habebant hereditatis cernundae, si qui pater

---

1) Cf. Is. de Hag. her. pg. 86 § 17.

2) Cf. Just. instit. lib. III, tit. II. Cornificii rhet. ad C. Her. I, 13, 23.

familias testamento non relicto mortuus esset. Theopompus autem est adgnatus, qui sexto gradu Hagniam II contingit, minime vero Phylomache II est adgnata, si eam cognationem contemplamur, quae una valet ad jus aliquod in eam deferendum ex legibus atticis. Altera illa πρὸς ἀνδρῶν cognatio, qua erat Hagniae II adgnata, etiam apud Romanos ei juris nihil tribuisset, propterea quod propior adgnatus Theopompus supererat, qui sexto gradu cum Hagnia II conjunctus ex eorum institutis illi, cui septimus tantum suppetebat gradus, praeferendus erat. Quae cum ita sint, mihi quidem meliore jure Theopompus usus esse videtur quam Phylomache II.

Si quis orator orationem componit, quid ea vult assequi? Id agit, ut de re, quae agitur, audientibus persuadeat. Si quis dicendo hoc efficere nescit, vix oratoris nomine dignus est, aut licet appellaris oratorem, certe non summum oratorem appellaveris. Demosthenes vero, si quisquam, dignus est, qui summus orator vocetur, summa enim vis persuadendi derogari ei nullo modo potest. Si igitur demonstraverimus orationem quam tractamus hac virtute carere, Demosthenis non esse verisimillimum erit.

Nunc tempus postulet, ut ad orationem accedamus examinandam. Ac primum quidem eam ita considerabimus, ut perscrutemur, quae sit ejus natura externae formae, hoc est num verba idonea et commoda delecta sint, ratione non habita.

Paragraphi 1 et 2, quae sunt prooemii loco.

Jam antea sibi cum eisdem adversariis de Hagniae hereditate lites fuisse; illos contra leges agere et vim facere ut possiderent eam non desivisse; ob id ipsum fortasse necessarium esse ab initio quae facta sint enarrare. Hac ratione judices et quae dicat facilius intellecturos et quales sint illi homines cognituros esse. Petit ab judicibus, ut benevole, ut attente se audiant. Se quoque quam evidentissime possit rem expositurum esse. Hoc prooemio audito haud dubie jam attenti, dociles et benevoli sumus Sositheo. — Sed ex his verbis oratoris quid necesse est

judicemus? Eum oratione apertissime nobis probaturum esse, Theopompum ejusque filium Macartatum pessimos esse homines; Eubulidi III uni in Hagniae II hereditatem jus esse; illos legum violatione, insidiis, malis dolis eam sibi — hoc est ei, pro quo dicit — eripuisse. Haec nos tenet exspectatio; videamus, quemadmodum ei satisfiat oratione.

Paragraphis 3—11 id assequi vult actor, ut jure judicibus Macartatum de Hagniae II hereditate, quamquam de hac eadem re jam antea heliastae sententiam tulerant, in judicium vocavisse videatur. (Quaerimus, anne lex fuerit, quae vetaret, ne quis de eadem re cum eodem pluries ageret; nam si ejusmodi lex fuit, quae erat spes rei ab judicibus adjudicatae recuperandae? Et sane talem legem fuisse, et ex his et quae sequuntur paragraphis verisimillimum, ex aliis vero oratorum atticorum locis certissimum est. Sed paulo post ad hanc rem redibimus) Quemadmodum de hac re judicibus persuadere conatur? Phylomache II, inquit, bona Hagniae II relicta petivit et obtinuit litem contra Glauconem et Glaucum, qui falsa testamenta protulisse convicti sunt. Idem paulo post successit Theopompo, qui Phylomachen II in judicium arcessivit: judicum sententiis Hagniae II hereditate potitus est. Phylomache II autem vicit Glauconem et Glaucum, quamquam plurima pro eis dixit testimonia Theopompus, propterea quod Hagniae II proxima est cognatione, id quod ei omnes, qui tum ejus adversarii erant, affirmarunt; Theopompus contra Phylomachen II vicit, non quod propior est Hagniae II cognatione, sed quod insidiis et malis artibus usus est. Conjuraverant enim inter se Theopompus et Glaucus et Glauco et Eupolemus quidam ex eorum propinquis et rem depacti erant, ita ut quae ementirentur omnia sibi invicem testarentur et auxiliarentur. Mihi vero pro Phylomache uxore dicenti, qui quintam tantum aquae partem accepissem, propter temporis angustias ne minimam quidem partem eorum, quae ementiti erant, refellere licebat, nedum mihi tempus suppeteret de cognatione et de ceteris judices edocere ita ut volebam. Quare factum est, ut judices falle-

rentur et Theopompo adsentarentur. Sed tamen ille paucis tantum, tribus ant quattuor, plures calculos obtinuit quam Phylomache II.

Cum igitur uterque eorum hereditatem ceperit judicum sententiis, eo tamen discrimine, ut Phylomache II jure, Theopompus injuria, Phylomache II vero etiam rursus amiserit eorundem sententiis, quidni Theopompo quoque idem nunc usu venire liceat? Sic fere Sositheus ratiocinatur. Sed quid nos ad haec dicimus? Infert haec omnia argumentis prorsus nullis additis neque testimonio neque jurejurando, quibus ut crederemus cogeremur. Possunt quae dicit omnia vera, possunt eadem omnia falsa et commenticia haberi. Potest vero evenire, ut orator res quasdam exponat et, ubi vel testimoniis vel aliis externis argumentis firmandae sint, hoc necessitudine coactus omittat, nos vero nihilo minus ejus verbis solis fidem habeamus. Sed ut ita dubitatione omni sublata animi ad credendum quasi abripiantur, id tum tantum fit, cum singula verba et sententiae rebus quae exponuntur aptata et adcommodata sunt, ita ut orator nullo loco neque plus neque minus, quam conveniat, dicere videatur. Hac re in primis veritatis vel summae verisimilitudinis species additur orationi, eaque causa est nostrae credulitatis. At num hujus oratoris eloquentia ita comparata est? Minime. Nimium versatur in eis rebus judicibus identidem dicendis, quae non verbis tantum affirmandae, sed etiam certioribus argumentis ut testimoniis ceterisque corroborandae et probandae sunt, quas, priusquam veras esse demonstrare studuisset, si multum concedimus, leviter tantum attingere licebat. Si hoc enim facit orator, videtur ipse summo veritatis amore esse et ob id ipsum aspernari de rebus loqui ut veris, quas veras esse nondum demonstravit et ita effecit, ut dubitatio in animis audientium nasci nulla possit. Prudens igitur ac peritus orator hoc quam maxime evitat. Si enim non evitat, facile excitat suspitionem, omnem suam salutem in verbis tantum fide carentibus positam esse; sive verum id est sive non est. Sed in hoc evitando ne minimam quidem

industriam ponit is qui orationem scripsit quae agitur; ne somniat quidem, fieri posse, ut hoc ipso contrarium ejus, quod vult assequi, eveniat, videlicet ut res non plus sed minus habeat persuasionis. Hoc vitio summopere laborare orationem, jam paragraphis, in quibus versamur, elucet, sed multo magis eis quae sequuntur probabitur. Sic loquitur semper de proxima cognatione Phylomaches II, propter quam a judicibus ei hereditatis Hagniae II adjudicata sit, quamquam ex eo potissimum, ut verum hoc esse demonstretur majore ex parte causa pendet.

Nonne vitiosum est quod addit[1]) *ὡμολογεῖτο γὰρ παρὰ πάντων τῆς γυναικὸς εἶναι ἡ κληρονομία κατὰ τὴν ἀγχιστείαν*, cum, ad quos *παρὰ πάντων* referri possit, duo tantum nominentur, Glaucus et Glauco? Studet sane verisimile reddere, vel Theopompum Hagniae II bona tunc nihil ad se pertinere credidisse, verbis[2]) *καὶ ἐπιδημῶν τότε Θεόπομπος* etc., quibus tamen nihil probatur nisi Theopompum non continuo bona illa judicio petiisse, minime vero, libere eum professum esse cognatione neminem Phylomache minore Hagniae II propiorem esse. Paucitatem igitur hominum nominavit orator, loquitur autem, quasi multitudinem nominaverit. Non igitur sibi constat, id quod summopere vitiosum est. — Ac nonne vitium est, quod paragrapho quinta verba inserta sunt *ἀλλ' αὐτὸς ἑαυτῷ ἐδίκασεν ὅτι οὐδαμόθεν αὐτῷ προσῆκεν οὐδὲν τοῦ κλήρου τοῦ Ἁγνίου*, cum hoc eo, quod Theopompum omisisse dicit, minime efficiatur — nam nonne factum esse potest, ut Theopompus Hagniae II hereditatem non continuo peteret, quia petitionem nondum satis firmo praeparaverat? et sic etiam aliae causae, cur non statim petiverit, cogitari possunt — postea vero factis, quae ipse statim narrat, apertissime demonstretur, non hoc, sed prorsus contrarium Theopompum judicavisse? — Mendosum etiam est, quod paragrapho quarta verba addidit *ἀλλὰ καὶ πονηρότατοι δόξαντες εἶναι ἀπηλλάττοντο ἀπὸ*

1) Contra Mac. pg. 1051 § 3.
2) Ibidem pg. 1051 § 5.

τοῦ δικαστηρίου. Nihil enim oratori expressis verbis dicendum est, quod etiam verbis illis amissis fieri non potest, quin judices aperte sentiant, praesertim cum, ut hoc loco, ad mores hominis vituperandos pertineant. Nam ut de abundantia, de neglecta in dicendo brevitate non dicam, facile, cum dicitur, quod dicatur necesse non est, res speciem habet, quasi is qui loquitur cum voluptate quadam maligna aliorum mores maculis adspergere studeat; nam ex malitia et malignitate facile in universum concluseris hominem improbum atque inhonestum esse. Improbitas vero gravem conflat invidiam, quae si conflata est ei, qui in judicio petit aliquid, nequaquam est verisimile, eum id quod sequatur judicum sententiis adepturum esse. Quid inde sequitur? Ut prudentiae consentaneum habendum sit, si quis tam leviter et modeste agat cum adversario, ut omnem ejusmodi speciem a se longe removeat. Haec vero species non modo hoc loco, verum etiam permultis aliis locis per totam orationem dispersis non evitatur, unde cum evidentia concludi potest, eum qui orationem composuit nihil suspicatum esse, quantum hac ratione suae causae nociturus esset.

Etiam quod verba, quae paragrapho quarta posita sunt *καὶ Θεόπομπος ὁ τουτουὶ πατὴρ Μακαρτάτου ἐκείνους συγκατεσκεύαζεν ἅπαντα ταῦτα καὶ ἐμαρτύρει τὰς πλείστας μαρτυρίας* nullo vel testimonio vel jurejurando confirmantur, vitiosum est, ideo quod fidem detrahit orationi. Sositheus enim multa volt concludi ex his verbis ut: si Theopompus in animum induxit auxilium ferre et testimonia dicere pro improbis fallacibusque hominibus, nonne facile putatur, ut satis ampla pecunia potiretur, insidiis et dolis usus esse? Videmus valde e Sosithei re fuisse, ut hoc ab judicibus crederetur. Nonne igitur mirum, quod id quod gravissimum est verum esse testimonio non probatur? Quod si attulisset, haud dubie staremus ab ejus partibus; nunc contrarium fieri necesse est. Sed num oratorem tam stolidum habere debemus, ut eum non sensisse putemus, testimonio addito multo plus persuasionis rem habituram esse? Minime.

Itaque quod non adjecit, alio modo explicari non potest, nisi ut rem ficticiam esse ideoque ei testes non suppeditavisse existimemus. Vitium igitur quod fecit in eo positum est, quod perverse credidit, melius esse illud inferre, etiamsi non confirmasset, quam omnino non commemorare. Ex qua re concluseris pudorem et verecundiam illi homini defuisse.

Idem sentio de paragraphis 6—11, quibus, qua via Theopompus bona Hagniae II Phylomachae II eripuerit, judicibus narratur. Eaedem causae mihi sunt, ac quas in proximis paulo accuratius exposui, eaedemque manent per totam, id quod mirum non est, orationem, quare fit, ut re semel distinctius indicata brevior jam esse possim. Res enarrata non ita est credibilis per se ipsa, ut aliis veritatis signis facile careat; e contrario facile aliquis in suspitionem venerit, illam satis callide ad fallendum excogitatam esse. Ut unum tantum moneam: quam obscurum est, illos, Glaucum et Glauconem et Eupolemum societatem cum Theopompo inisse et in omnibus rebus sibi invicem adsentando effecisse, ut Theopompus bona caperet. Nam Glauconem et Glaucum satis magna cum verisimilitudine dicit contra Phylomachen II egisse, cum jam antea exposuerit, illos ab hac muliere hereditate privatos esse; — de Eupolemo nihil scimus quibus causis commotus fecerit — fortasse etiam antea induxit Theopompum illos adjuvantem testimoniis, ut eo sibi obligasse putaretur et sic post facilius illi rursus ei auxilium tulisse crederentur. Sed id quod verisimile non reddit et quod idcirco obscurum est, hoc est: ne mininam quidem rem affert, qua credibile fiat, Theopompum pro illis hominibus fallacibus testimonia dixisse. Si demonstravisset inimicitias Sositheo cum Theopompo intercessisse, plus fidei haberet narratio. Sed ne tum quidem omittenda erant testimonia vel, si haec non suppetebant, jurajuranda; cum vero neque illud verisimile fecerit neque extranea argumenta ob id ipsum magis etiam necessaria adhibuerit, minime dicit ad persuadendum accommodate.

Paragraphis 11—17 quae exponuntur, de eis iterum nobis prorsus non persuadetur, sed mira quadam inconstantia videntur laborare. Praeterea in eis incredibilis quoque quaedam actoris impudentia eminet. — Postquam Eubulides III natus sit et opportunum tempus adesse visum sit, se illum in Hagniae II et Eubulidis II phratriam induxisse, ut Eubulidi II filium adoptivum institueret. Hoc vivum illum magnopere exoptavisse; se igitur hoc faciendo illius voluntati pio animo inserviisse. Ac huic quidem in phratores inductioni Macartatum non restitisse, ergo etiam renovatae Hagniae II bonorum petitioni, non jam Phylomaches II, sed Eubulidis III nomine institutae, nihil habere posse quod opponat.

De sententia pg. 1053 § 11 *ἐπειδὴ δ᾽ οὑτοσὶ ὁ παῖς ἐγένετο καὶ ἐδόκει καιρὸς εἶναι, οὐκ ὀργισθεὶς ἐγὼ τοῖς γενομένοις, ἀλλ᾽ ἡγούμενος εἰκός τι παθεῖν τοὺς τότε δικάζοντας εἰσήγαγον εἰς τοὺς φράτερας τοὺς τοῦ Ἁγνίου Εὐβουλίδῃ τὸν παῖδα τουτονὶ, ἐκ τῆς θυγατρὸς ὄντα τῆς ἐκείνου, ἵνα μὴ ἐξερημωθῇ ὁ οἶκος* quid dicamus? Nonne mira quaedam inconstantia actoris in ea cernitur? Quamquam apertissime ex ipsis verbis ejus intellegitur, eum Eubulidem III Eubulidi II adoptivum filium fecisse, ut hoc modo sibi facultas fieret Hagniae II bona denuo petendi, neque vero, ne aut Hagniae II aut Eubulidis II domus interiret, tamen volt credi, hac posteriore causa se commotum esse, ut ita ageret. Videmus probe in hac re, quam verum illud dicatur, cupiditatem hominum obcaecare animos. Pro habendi cupiditate non sentit Sositheus, quam impudenter, quam inepte dicat. Possit aliquis in hac tanta imprudentia admiranda, quae non modo hoc loco, sed per totam orationem invenitur, in opinionem devenire, Sositheum ipsum oratorem esse, ex cujus ingenio haec tam praeclara oratio fluxerit, cum credibile esse neget, oratorem quamvis mediocrem tam inconsiderate dicere potuisse. Etenim si revera interfuit Sosithei, ne Eubulidis II domus interiret, quidni jam dudum Sosiam filium majorem natu in domum ejus adoptandum dederat? Sed non prius ejus intererat, ne exstingueretur, quam ejus ipsius commodum agebatur. Hoc perspicuum est. — Deinde apte quoque testimonio confir-

masset, Eubulidem II quam maxime deos obsecrasse, ut filius sibi fieret; qui cum natus non esset, ex filia genitus puer ut in domum suam induceretur voluisse. Neque tamen id fecit. Tota omnino oratione paene dixerim eas tantum res testimoniis firmari, quae num firmae esse videantur, nihil referat.

Quod pg. 1053 § 12 dicit *ὅπως ἐκ τῆς θυγατρὸς εἰσποιηθῇ αὐτῷ υἱὸς εἰς τὸν οἶκον τὸν ἑαυτοῦ καὶ τὸν Ἁγνίου* etc., verba ejus veritati non respondent, quamquam facile intellegimus, cur ita loquatur. Nam Eubulidis II et Hagniae II diversae sunt domus, id quod etiam ipse recte dicit pg. 1055 § 19. Phylomache I, Hagniae I filia, transiit in domum Eubulidis I, qua tamen transitione illorum *οἶκοι* duo esse non destiterunt. Studet vero actor illas domos in unam transformare, quo minus dubium esse videatur judicibus, quin Eubulidis III hereditatem Hagniae II esse oporteat. Recte me haec dicere, ostendunt verba quoque proxime quae sequuntur *καὶ εἰς τοὺς φράτερας εἰσαχθῇ τοὺς ἐκείνου* (sc. *Ἁγνίου*). Nonne enim eidem phratores sunt Eubulidis II et Theopompi? Quid igitur, cum magis naturae consentaneum fuisset, si dixisset *τοὺς ἑαυτοῦ* aut omnino haec verba, cum abundent, omisisset, sic dixit, nisi ob eam causam, ut judices quam saepissime Hagniam II artissime cum Eubulide II conjunctum dici audiendo, his ipsis sonis saepe repetitis paulatim fidem haberent rei quamvis non aperte demonstratae? Haec omnia nimis perspicua sunt, quam ut a vitiis vacua esse dicamus. Nonne etiam mirum est, quod pg. 1052 § 7 de adversariis dicit *φάσκοντας τὸν νόμον κελεύειν παρὰ τοῦ ἐπιδεδικασμένου καὶ ἔχοντος τὸν κλῆρον προσκαλεῖσθαι, ἐάν τις βούληται ἀμφισβητεῖν*, quasi ejusmodi lex non fuerit, sed ab adversariis tantum ficta sit, 1054 § 15 autem ipse lege illa nititur? Videmus eum omnibus rebus, quae adversariis commodo sunt, obtrectare et ita quidem obtrectare, ut nos omnes facere eum hoc apertissime sentiamus. Quod minuit, vituperandum non est, nam omnes faciunt oratores; sed quod hoc ita facit, ut suae ipsius causae, non adversarii

noceat, vitiosissimum imperitissimique oratoris signum est. — Pg. 1053 § 11 nemo est quin intellegat, verba *οὐκ ὀργισθεὶς ἐγὼ τοῖς γενομένοις, ἀλλ' ἡγούμενος εἰκός τι παθεῖν τοὺς τότε δικάζοντας* cum dicat actor, eum mentiri. Quam ab hoc oratore diversus est Demosthenes, cui in oratione adversus Cononem paragrapho prima dicenti *οὕτως ἐποίησα καὶ δι' ἐκείνους ἰδίαν ἔλαχον δίκην, ἥδιστ' ἄν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, θανάτου κρίνας τουτονί* plus fidei habemus!

Paragrapho 16 pg. 1054 desinit prima pars orationis qua actor, quamquam postea ad eandem rem redit, evicisse sibi videtur, etiam nunc sibi licere Eubulidis III nomine Macartatum de Hagniae II hereditate in judicium vocare. Sed mihi hucusque nihil probavisse videtur, cum neque attulerit legem, qua eluceret, jus illud bonorum petendorum tempore non deleri — nam etiamsi tempore non interibat, quod valde in dubium vocaverim, tamen hic locus erat, quo cum vi judices de hac re monerentur — neque alteram, quam desideraveris, unde appareret, Eubulidi III licere Macartatum de hereditate postulare. Nam certissimum est, leges fuisse, ne idem cum eodem re semel judicata de eadem re denuo litigaret [1]). Quae leges si non fuissent, quae futura erat rerum possessarum securitas? Has igitur leges Sositheus ita observavit, ut non rursus Phylomaches minoris nomine, sed Eubulidis III peteret. Sed quis est, quin videat, hac ratione literas tantum legum non violari, minime vero sententiam? Ceterum quod nobis orator de his non persuadet, minus ipsius culpa fieri mihi videtur quam natura rei quam tractat, cui leges obstant. —

Paragraphis 17—32 orator caput totius causae tractat. Probare studet judicibus ex cognatione melius jus Eubulidi III in Hagniae II bona competere quam Theopompo et Macartato. Sed singula accuratius contemplanda sunt. Primum exponit de genere ea, quae nos jam scimus; deinde

1) Cf. Dem. c. Lept. pg. 502 § 147; pro Phormione pg 952 § 25; auctorem orationis adversus Boeotum de dote pg. 1024 § 55; alios locos.

his utitur in argumentando ad causam suam stabiliendam. Exponit judicibus, sua quidem sententia Hagniae I Polemonem filium et Phylomachen I filiam propiores esse cognatione quam fratris Stratii I filium Charidemum; hoc nos omnes verum esse concedamus necesse est. Itaque etiam Polemonis filium Hagniam II et Phylomaches I ex Philagro filium Eubulidem II propiores esse Hagniae I quam Charidemi filium Theopompum, fratris Stratii I filii filium. Iterum omnes ei adsentiemur. Eubulidi II, Hagniae II a patre consobrino, Eubulidem III filium esse; qui quin a patre Hagniae II consobrini filius sit neminem posse dubitare. Ergo in numero eorum esse, quibus lex *τὴν ἀγχιστείαν* dederit; quem juris titulum frustra sibi adrogare Theopompum, qui e Stratii I sit domo, neque vero Hagniae II et Eubulidis II. Quis autem est, cui de his persuaserit? Sed prius videamus cetera. Minime vero convenire, ullum ex alio domo hominem hereditatem Hagniae II possidere, dum in Hagniae domo, qui possidere possit, relictus sit; in qua Phylomachen II et Eubulidem III reliquos esse. Theopompum vero non nisi permagnis mendaciis usum, Phylomachen I non fuisse Polemonis sororem germanam et rursus, se ad Hagniae domum pertinere, quae tamen nullo testimonio probaverit, sed propter mirum illum consensum hominum illorum eum adjutantium a judicibus credita sint, Phylomachae II, Eubulidis III matri, bona ab Hagnia II relicta eripuisse. Sed cui his persuasit de Eubulidis III jure orator? Quam non cohaerent, quae subito a § 26—28 inferuntur, cum eis, quae praemisit, aut certe, quod exspectaveris, ex eis non consequuntur! Cur igitur antea disputavit? Si Hagniae I hereditas ageretur, sane haec suo loco essent. Nemo dubitaret, quin Polemo et Phylomache I, ergo etiam Hagnias II et Eubulides II, eorum liberi Theopompo praeferendi essent. Recte etiam tum dicerentur *ἐκ τοῦ αὐτοῦ οἴκου ὄντες* Hagniae I et opponerentur Theopompo *τῷ ἐξ ἑτέρου οἴκου ὄντι*, propterea quod Hagniae I essent posteri, recta linea cum eo cognatione conjuncti. Sed quid haec ad rem, quam agit? —

Deinde, cum e re sit ejus, mentitur Eubulidem II *πρὸς πατρὸς* Hagniae II consobrinum esse, quamquam *πρὸς μητρὸς* tantum est. — Qui probat autem melius jus Eubulidis III esse? Demonstrat Eubulidem III *ἀνεψιοῦ παῖδα* esse *Ἁγνίᾳ πρὸς πατρὸς*, quam rem cetera sequuntur, Theopompum simpliciter hoc nomen sibi adrogare non posse adfirmat. Quae in tali argumentatione persuasio? Num hoc est rem tuam bonam esse demonstrare, si res, quibus facile contrarium evinceretur, omiseris? Nonne facillimum est adversario ejusmodi argumentationem evertere? Qui igitur rem tuam firmasse dici potes? Et tamen hoc potissimum est, in quo oratori elaborandum est, ut perficiat. Cognatio illa *πρὸς ἀνδρῶν* clienti nulli est utilitati, ergo tacetur; altera illa ex parte *πρὸς γυναικῶν*, cui Theopompus, quae respondeat, opponere non potest, etiam efficacior est, si *πρὸς ἀνδρῶν* esse putatur; ergo loco, quo convenit, in hanc transformatur. Praeterea fabula de domo quam invenit ad rem confirmandam utitur. —

Dicam jam ea, quibus mihi, cur haec pars orationis ita comparata sit, ut est, planum fieri videtur. Primo loco ea ponit, quae ita sunt evidentia, de quibus nemini unquam in mentem veniat dubitare; simulat vero § 23, quo magis judices in errorem inducat, his veris concessis fieri jam non posse, quin eis de ceteris persuasurus sit. Deinde altero loco infirmissima haec de cognatione ponit; his denique tertio loco illa, insidiis, non generis propinquitate Theopompum vicisse, adduntur. Volt infirma in medio posita ab duabus partibus eis, quae firmissima videantur, defendi. Res igitur satis callide ab eo geritur, minime tamen nobis persuadetur. Verum hac orationis parte, ut videmus, non modo oratorem non ad persuadendum apte dicere apertum est, sed etiam — in qua re magna ex parte causa posita est, cur id non efficiat — rem, quam probare velit, veram non esse. Tam enim insciens et imperitus judicari non potest, ut pg. 1058 § 26, nisi maxime necessarium fuisset, *τῷ Εὐβουλίδῃ ἀνεψιῷ Ἁγνίου ὄντι πρὸς πατρὸς* contra veritatem dicturus fuerit (Idem pg. 1071 § 63 repetitur). Item

pg. 1058 § 27 de verbis existimo *ὁ δέ γε Θεόπομπος ὁ τουτοὶ πατὴρ Μακαρτάτου οὐκ ἂν εἶχεν ὄνομα θέσθαι ἑαυτῷ τῶν ἐν τῷ νόμῳ εἰρημένων οὐδέν:* non hercle rem, de qua judices tantopere dubitare poterant, dixisset, si qua fieri potuisset. Fretus proverbio 'fortuna adjuvat audacem' sperat eventurum esse, ut fraudem non animadvertant judices, quorum animi nominum et rerum difficultate et multitudine obruti sint, in qua sententia cum esset mihi non ita incredibilia ut credibilia venditasse videtur, quamquam nobis, hodie judicibus, quibus facultas est rei omnibus a partibus otio atque tranquillitate considerandae et perpensitandae, minus hoc potest usu venire. Fallere igitur et decipere eum studere rebus falsis prolatis perspicuum esse videtur. Quod cum certis signis perspexisse mihi videar, ex hoc certis signis cognito alia, quamquam non cum firmitate veritatis, tamen cum verisimilitudine videntur posse concludi. Quae cum ita sint, quid nos impedit, quominus de eo, quod affirmavit orator, Theopompum Phylomachen I Polemonis germanam sororem fuisse negasse et se ipsum ex Hagniae II domo esse simulavisse, neque vero, quamquam hoc gravissimum est, testimoniis confirmavit, hunc in modum ratiocinemur? Etiamsi res aliqua per se verisimillima videtur esse, externo argumento apud judices firmanda est. Hoc non factum est hoc loco. Estne vero res verisimilis? Non credo. Etenim Theopompus cum bono jure uteretur, quid confugeret ad mendacia, quae vix ullo modo judicibus probare poterat et, etiamsi probaverat, facile a Sositheo fraudis poterat convinci? Videmus, ne satis quidem verisimilem esse rem; eo magis igitur testimonio fulcienda erat. Quod cum factum non sit, tametsi res utilissima est actori, magnopere igitur ejus interesse oportebat, ut a judicibus fides haberetur, optimo utimur jure, quod de veritate rei dubitamus. Quod cum negari non possit, si infirmitate orationis utamur et in malam partem omnia accipiamus, rem sic fingere possimus.

Videmus sententiam, quam nos, priusquam ad orationem ipsam accederemus considerandam, de Theopompi et

Phylomaches II et Eubulidis III jure proposuimus, orationis vi ac natura miro modo confirmari. Videtur Sositheus Hagniae II hereditatem nihil ad se pertinere probe cognitum habuisse, neque vero, cum semel ei oculos adjecisset — fortasse hanc unam ob causam Phylomachen II uxorem petiverat — et revera jam semel judicum sententiis uxori addicta fuisset, dulcedine possessionis captus a Theopompo ereptae aliquando recuperandae spem abjicere potuisse. Hoc tempus Theopompo mortuo et Eubulide III nato adesse duxit. Sed multae difficultates rei, quominus bene gereretur, obstabant, cum ei non modo melius jus hereditatis sibi adrogandae deesset, sed etiam adversario exceptio rei judicatae suppeteret. Posterior haec difficultas ut tolleretur, Eubulidem III Eubulidis II adoptivum filium facit: non jam litigant de hereditate Theopompus et Phylomache II, sed Macartatus et Eubulides III. Litera legis observatur, res igitur convenit. Quod ad priorem attinet difficultatem, hic quoque apertum est, non nisi fallendo rem ad bonum finem perduci posse, sed qua est homo calliditate animi, non desperat. Invenit judicibus dicendum esse, Theopompum in priore illo judicio non juris sui bonitate, sed Phylomachen I Polemonis sororem *ὁμοπατρίαν καὶ ὁμομητρίαν* fuisse negando et se ad Hagniae domum pertinere simulando vicisse. Hoc invento in locum ejus, quod quomodo probaretur nesciret, substitutum est id, quod verum non esse facile probari poterat testimoniis. O lepidissimum hoc excogitatum! Tum vero etiam diligenter praecavendum erat, ne veri dissimile videretur judicibus. Poterant hi quaerere: quidni igitur post litem amissam, cum injuria hoc factum esse putares, illos, quorum falsis testimoniis vicerat Theopompus, *ψευδομαρτυριῶν* postulasti?[1]) Hac ratione efficere poteras, ut judicium, quod factum erat, rescinderetur. Hoc bene provisum est a Sositheo: Theopompus non vicit falsis testimoniis nisus, sed societate inita cum Glauco,

1) Cf. Meierum et Schoemannum in libro, qui est de lite attica pg. 759 seqq.

Glaucone, Eupolemo, ita ut, ὑπεύθυνος illius jacturae qui esset, mihi relinqueretur nemo. Haec ut ei impune liceret ementiri, priusquam renovaret litem hereditariam, videtur exspectavisse, dum Theopompus mortuus esset. Fortasse etiam Macartatus eo tempore, quo inter patrem ejus et Phylomachen II de hereditate lis erat, admodum puer fuit, ut spes esset Sositheo, argumenta, quibus judicibus fraudem detegeret, illi defutura esse. Sic res, cum tota oratione nihil sit quod refragetur, sed e contrario omnia ad hanc opinionem videantur nos adducere, cum magna verisimilitudine cogitari potest.

Hanc tertiam fere orationis partem paulo accuratius consideravimus. Qua in consideratione cum occasio mihi data fuerit, ut omnium earum rerum, quae ad oratoris ingenium cognoscendum aliquid valeant, quas quidem ex oratione omnino comperimus, singula saltem exempla commemorarem, de eisdem vero ut compluries moneam nihil attineat, de reliqua parte, ne prorsus praetereatur, pauca tantum additurus sum.

Pg. 1059 § 31 primum recitari jubit testimonium, quo firmetur, Phylomachen II revera judicum sententiis Hagniae II hereditate potitam esse. Deinde paragraphis 32—35 de hac a Phylomache II in judicio reportata victoria verba facit, quae nihili prorsus sunt, cum repetant tantum, quae pluries jam affirmavit argumentis non additis. Phylomachen II juste vicisse, Theopompum vero non vicisse, sed decepisse judices. Ludit verbis. Praeterea Eubulidem III a nullo antea victum esse. Apertum esse, judices huic, si meliora quam Macartatus dixisse visus sit, hereditatem adjudicaturos esse. Ex hac quam simulat fiducia facile, quam ipse re non confisus sit, perspexeris.

Tum pg. 1060 § 35 alterum affertur testimonium, quo eluceat, Phylomachen I, Hagniae II amitam, revera Polemonis sororem germanam fuisse. — Paragraphis 38—42 exsultans commoratur pluribus verbis in eo, quod tum ipsum judicibus testimoniis probavit. Quamquam vero de hujus rei veritate testimonio allato non jam dubitaverit

quisquam, tamen simulata de Theopompi impudentia et spurcitate indignatione rei fidem augere simulque adversario odium excitare studet. Persuadet oratio nemini. — Paragrapho 42 denique cetera (§ 35) ad genus Phylomaches I probandum allata testimonia recitantur. Praeterea per totam orationem nulla inveniuntur. — Paragraphis 47—51 rursus disputat de natura diversa cognationis, qua et Macartatus et Eubulides III cum Hagnia II sint conjuncti. Quod Macartato jam prorsus jus nullum esset in Hagniae II bona, nisi hereditate a patre accepta tenuisset, ea re se uti non posse ipse intellegit. Iterum loquitur de domo: Eubulidem III esse in Hagniae II domo, Macartatum et Theopompum in prorsus alia, Stratii. Hoc nominum quoque diversitate demonstrari. De domo quid sentirem, jam supra indicavi. Videntur igitur haec quoque mihi nihil valere. — Deinde vero legum quandam seriem recitari jubet, quarum prima recitata pg. 1067 § 52 affirmat, patere ea, non esse hereditatem neque Theopompi neque Macartati, sed Hagniae posterorum, eorum, qui sint in illius domo. Non potest nisi Hagniam I dicere hoc loco, cum posteros illos intellegat Phylomachen II et Eubulidem III, quos Hagniae II posteros dici non posse apertum est. Jam scimus, quamquam, quid in lege perscriptum fuerit, ipse accuratius non indicat, legem quandam recitatam esse, quae ad hanc causam omnino non pertineret. Non enim agebatur Hagniae I hereditas, sed minoris, cujus non sunt posteri Phylomache II et Eubulides III. Ne judices sentirent fraudem interpretando addidit verba *τοῖς οὖσιν ἐν τῷ οἴκῳ τῷ ἐκείνου*, quibus res obscuraretur. Videmus oratorem demonstrare, Hagniae I hereditatem ut acciperent secundum leges futurum fuisse, neque vero secundum leges esse, ut Hagniae II acciperent. Hoc rectum esse, hoc est Hagniae I hereditas si acta esset, Phylomachae II et Eubulidi III optimum jus futurum fuisse, jam supra libenter concessimus. Sed quae disputat orator, non persuadent, quia rem non tangunt. —

Idem dicendum est de ceteris omnibus, quae multis

verbis proponit orator a pg. 1067 § 53 ad finem pg. 1079 § 85, exceptis paucis quibusdam verbis, quae, ne deesset conclusio orationi, facienda erant. Adjiciuntur haec omnia ab oratore, unde perspicuum fiat, qua aequitate, qua justitia, qua pietate, qua sancta legum reverentia omnibus in rebus omni tempore egerit Sositheus, quae contra iniquitas, impietas, cupiditas pecuniae, legum violatio usquequaque apparuerit in Theopompo. Volt assequi, ut cum benevolentia ac dolore ipsius causam amplectantur judices, adversarium autem oderint rebusque ejus invideant. Quod tamen nobis judicibus minime accidit et ne veteribus quidem illis judicibus evenisse potest credi, si ex veri Demosthenis ceterorumque illustrium oratorum atticorum orationibus conclusionem facere licuerit. Nobis etiam reliquis his paragraphis nihil probatur nisi eum qui orationem confecit non tam adversario, quam sibi ipsi conflare scivisse invidiam.

In eis quae proxima sunt demonstrat, leges non tantum commoda concedere cognatis, sed gravissima etiam imponere onera. Deinde ejusmodi legibus aliquot recitatis addit, omnia quae eis imperentur sibi imperari, non Theopompo.

Pg. 1067 paragraphis 53—57 lege recitata dicit se legis timore Phylomachen II *τὴν ἐπίκληρον* judicio petivisse, quia genere proximus esset, Theopompum non petivisse, quia nulla ratione ei propinquus esset. Sed quis non videt haec verba tantum esse inter se opposita, Sositheum facile alia causa ac quae nominetur commotum esse posse, ut peteret, Theopompum impeditum, quominus hoc faceret? Possit aliquis verba Sosithei intellegere hoc modo: ego Phylomachen II duxi propter spem hereditatis, quae si mihi non datur, ne Phylomachen quidem volo. Sed si spe sua falsus est Sositheus, num idcirco Theopompo de jure suo decedendum est? — Nonne etiam melius erat causae Sosithei, si temperasset orator verbis *τούτων γένοιντ᾿ ἄν ἄνθρωποι ἀναισχυντότεροι ἢ μιαρώτεροι;* quibus convicium tantum fit adversario? Sed per totam orationem hunc odiosum in modum clamat ac vociferatur. — Omnino vero, id quod paulo ante monebam, et hoc et quae sequuntur omnia exitu

solo excepto omittenda erant, propterea quod extra causam posita sunt. Sed quia in ea re, in qua accurate probanda omnis versatur controversia, legum afferendarum facultas non fuit, hic detrimentum, quod illic accepit oratio, eo pluribus allatis sarcire ac sanare studet, licet hae omnes ad rem, quae agitur, minus pertineant. Id saltem lucratur, ut non prorsus desiderentur leges. Idem igitur in legibus accidit oratori, quod supra in testimoniis accidisse videbamus. In gravissimis rebus leges deerant, in levissimis et extra causam positis abundant.

Postquam legibus non sola commoda cognatis dari, sed etiam multa onera imponi probavit, minime vero ad ipsos unos haec onera pertinere neque vero ad Theopompum et Macartatum — nam si leges ita comparatae fuissent, ut hoc aperte demonstrare posset, verba legis in orationem intexturum fuisse credam — paragrapho 60, pg. 1070, cum praevideat Macartatum aegre laturum et questurum esse, quod patre Theopompo mortuo de hereditate in jus vocetur, eum sic refutare studet, ut dicat, patrem ejus, cum homo mortalis fuerit, non semper vivere potuisse, leges vero in aeternum manere. Quae leges? Certae quaedam non afferuntur. Quidni, si bona et justa utitur causa Sositheus, certam legem tantum unam adhibet, qua demonstret, sibi licere Macartatum denuo de hereditate in judicium vocare? Sed eis quae dicit est nulla fides; sunt verba tantum.

Pg. 1070 paragrapho 62 actor redit ad leges recitandas, quibus cognatis — se dicit suosque neque vero adversarios — onera imponuntur, quae omnia summa cum religione susceperunt et pertulerunt. Et primum quidem legem proponit, quae solas mulieres *τὰς προσηκούσας μέχρι ἀνεψιότητος* domum funebrem adire et funus ad sepulcrum prosequi sinit. Tum subjicit, Theopompi uxori, Macartati matri, Apolexidis Prospaltensis filiae igitur non licuisse in Hagniae II funere adesse. Hoc recte quidem. Quid vero, si sororem Theopompus habuisset? Quam si non habuit et idcirco mulier ex Stratii domo ad Hagniae II mortui corpus curandum accedere non potuit, ita ut ex lege hoc

negotium Phylomachae II soli relinqueretur perficiendum, num ideo jus ejus Hagniae II bonorum possidendorum tollitur vel etiam minuitur tantum? Neutrum ex nostra sententia fieri potest. Ergo hoc quoque loco nihil dicit orator, quamquam ut ubique plurima effert verba, qua verborum et veritatis differentia semel ab auditoribus perspecta omnis detrahitur orationi fides aut certe suspitione valde minuitur.

Paragrapho denique 66, pg. 1072 ut ad rei gravitatem accommodata conclusio fiat, vel oraculum delphicum affertur, quod cum Solonis legibus de cognatorum officiis congruere affirmatur.

Plus est persuasionis in ea quae pg. 1073, § 68—pg. 1075, § 73 narratur re, quoniam testimonio firmata est. Theopompum in Hagniae II fundis olivas, et vicinorum et aliorum hominum delicias, plures quam mille excidisse. Quare non modo mortuo Hagniae injuriam fecisse, sed etiam, quod multo gravius sit, totam urbem contumelia affecisse, quoniam lex ejus generis arbores exstirpare vetuerit. Lex ipsa affertur. Etiamsi in his nihil videatur fraudis inesse, tamen, cum a causa prorsus aliena sint, jure omittenda fuisse censueris, quia, si quae a causa separata sunt nihilominus commemorantur, cur id fiat, dicas alias rationes cogitari non posse quam animi malignitatem omninoque sui commodi majorem curam quam legum. Quin dici potest, Sositheum ipsum officium suum deseruisse, qui Theopompi peccata delictaque viderit neque vero *γραφῇ παρανόμων* persecutus sit. Quae Sosithei criminatio cum timenda esset, eo magis orator, si quid sensisset, haec missa fecisset.

Paragraphis 73—79, pg. 1075—1077, huic indignissimae legum violationi Theopompi opponitur Sosithei legibus obtemperatio religiosa, quae cerni possit in studio, quod posuerit in eo, ne Hagniae II domus interiret. De qua re quid nobis videretur, jam supra indicavimus. Lege recitata vel in hanc Theopompum peccavisse dicit, qui Macartatum filium non in Hagniae II, sed in Macartati, fratris uxoris, domum adoptandum dederit. Recte haec quidem vituperantur. Sed si revera Sositheo leges ut inviolatae starent cordi erat, simulatque neglexerat Theopompus peculiari actione ab eo persequendus erat. Quod nunc ejus rei mentionem facit, eo ipse leges infringit, quod facit id eo consilio, ut judices animis in Theopompum odio inflammatis sententias ferant.

Paragraphis 79—81, pg. 1077 et 1078, postremo loco Theopompo crimini vertitur aut potius signum esse dicitur, unde pateat, non jure eum possidere Hagniae II bona, quod et ipse et jam pater ejus Charidemus communi Buselidum generis sepulcro, separatim alio sibi exaedificato, uti destiterunt. Quid hoc aliud est nisi mera garrulitas oratoris?

Paragraphi 81—85, pg. 1078 et 1079, conclusionem efficiunt, in qua ut ubique per totam orationem pluribus verbis usus est orator, quam opus erat. Ac ne in hoc exitu quidem convicio et odioso clamore, quae homine indigna sunt, abstinere potuit, ut docent verba § 83 *καὶ ἱκετεύειν αὐτοὺς ὑμᾶς τοὺς δικαστὰς ὅπως μὴ ἐξερημωθήσεται αὐτῶν ὁ οἶκος ὑπὸ τῶν μιαρῶν τούτων θηρίων*[1]), *οἵ εἰσιν ἐκ τοῦ Στρατίου οἴκου* etc. Ejusmodi oratione quemadmodum heliastarum animos adfectos esse credemus comparato Ciceronis Oratoris capite VIII, § 25: „quorum (scl. Atheniensium) semper fuit prudens sincerumque judicium, nihil ut possent nisi incorruptum audire et elegans. Eorum religioni cum serviret orator, nullum verbum insolens, nullum odiosum ponere audebat.“

Si quis, qui perfectissimae[2]) Demosthenis eloquentiae speciem quandam animo informatam habeat, tot res, quae summopere videantur vitiosae et vituperandae esse, in oratione aliqua invenerit, quot ego hac disputatione in hac contra Macartatum oratione inesse videor mihi demonstravisse, certe non jam credet eam esse Demosthenis. Quae enim oratione saepius perlecta imago oratoris animo obver-

---

1) Cf. Dionys. Hal. *περὶ λεκτ. Δημ. δειν.* cp. 57.

2) Cf. Cic. Orat. 7, 23; 8, 26; 31, 110 u. 111; 38, 133; 39, 136; 67, 226; 70, 234.

satur? Haud dubie minime similis Demosthenis. Videtur homo fuisse rhetoricis praeceptis leviter imbutus, fortasse etiam solo judiciorum usu eruditus. Quia vero ei omnis et honesti et pulchri et decori sensus deerat omninoque humanae naturae recte judicandae nulla erat in eo facultas, sine quibus rebus omnibus verus orator cogitari non potest, eo non pervenit, ut quae probaretur, orationem componeret. Hunc igitur ex oratione adumbramus oratorem: natura non dederat ei ingenium oratorium. Ab hujus indolis homine oratio conscripta esse potest, minime vero a Demosthene, cujus similitudinem refert nullam. Quam enim ille diversus est ab hoc quem ponimus oratore! Earum rerum omnium, quae in oratione quae agitur reprehendenda esse indicavimus, apud Demosthenem ne vestigium quidem inveneris! Demosthenes is est, quem natura oratorem esse voluit. Ob id ipsum, quamquam initio rhetorica utebatur institutione Isaei eique etiam in primis quas conscripsit orationibus similis est, postea tamen omni quod imitaretur exemplo repudiato suum ingenium solum secutus est, quare factum est, ut ejus scriptiones nihil redolerent rhetorem, sed omnia, quae dixisset quam maxime naturae consentanea esse viderentur. Si quis nostrum hodie orationem aliquam ex numero earum, quae etiamnunc Demosthenis esse judicantur et quae solae dignae sunt eo, legat, inter legendum facere non poterit, quin in omnibus rebus oratori prorsus adsentiatur. Hujus adsensionis causa posita est in eo, quod omnibus partibus pari cura elaboratae sunt ejus orationes. Ubique sibi constat oratio, ita omnia, quae vel dubitationes vel suspitiones movere possint, sublata, tanto ingenii acumine omnia ad rem accommodate et excogitata et prepolita et tanta arte disposita sunt, ut summam habeant laudem. Nonne vero in hac oratione omnia invenimus contrario modo comparata? Neque in legendo consentimus, sed ubique suspicamur, neque post lectionem tenemur admiratione oratoris, sed quo saepius legimus et quam potuimus accuratissime omnia perpensavimus, eo minoris aestimamus. Ergo prorsus contrarium ejus hic accidit nobis

quod in Demosthene, ad cujus orationis quo saepius redimus legendas, eo majore in dies voluptate et admiratione versamur in eis, id quod fit in omnibus praestantibus artis operibus: satis spectari et considerari non possunt. Sed missa facta accurata consideratione singulorum omnium jam hoc uno, quod orationi contra Macartatum minimum, orationibus Demosthenis omnibus plurimum est fidei, certissimum et firmissimum mihi videtur esse eam ab Demosthene non esse profectam. Possit autem hoc loco mihi opponere aliquis: „quum desit orationi fides, recte tu quidem eam Demosthenis ingenio indignam videris judicare. Sed tu ipse rem, quae agatur, fraudem et calumniam esse tibi videris ostendisse. Satisne etiam scis, num de ejusmodi re Demosthenes tibi persuasurus fuerit?“ Quamquam hoc eum facturum fuisse non pro certo affirmaverim, certissime tamen mihi videor scire, si causam omnino suscepisset, non tot ansas offendendi eum nobis daturum fuisse, quot is dedit, qui orationem scripsit, sed etiam de re tam difficili si non prorsus ad persuadendum apposite, certe tamen cum quadam verisimilitudine dicturum fuisse, quae, ut vidimus, si res accurate consideramus, in hac oratione penitus desideratur. Verum enimvero id ipsum, quod res, quas secundum leges esse oratione efficiendum est ut judices credant, leges violare mihi videntur, alia gravissima causa est, cur orationem Demosthenis esse negaverim. Etenim et orationibus ejus et totius aut fere totius antiquitatis judicio Demosthenem non novimus eum fuisse, qui ut fraudi veritatis imponeretur species, operam daturus fuerit. Nam quod non defuerunt ei in antiquitate obtrectatores, ei rei nihil tribuo: quo quisque est multis rebus admirabilior magisque spectatus, eo facilius inveniuntur, qui laudem ejus, quae sit in omnium ore, minuere studeant. Sed in scriptionibus ejus ubique tanta spirat morum probitas, tanta animi honestas ac liberalitas, tanta denique humanitas, ut facere non possimus, quin eum cum amore atque veneratione amplectamur, tantum autem absit, ut hanc orationem ejus esse credamus, ut ne suspicemur quidem eum tale

quid compositurum fuisse. Demosthenis igitur etiam hac de causa oratio haberi non potest.

Si quis vero mihi opponere voluerit, verisimile esse demonstravisse me non servari rerum veritatem in oratione, non autem prorsus certum esse; et Schoemannum ad Isaeum pg. 450 et Boorium in libro, quem conscripsit de successione ab intestato apud Atticos, et A. Schaeferum[1]) in alia esse opinione, omnino neminem hucusque de meliore Eubulidis tertii jure dubitavisse; hac re vix probari responderim, non recte me judicare. Contra libenter profiteor, me non tam cum evidentia demonstravisse Sosithei injuriam, quam, qua est oratio infirmitate, cum verisimilitudine sumpsisse. Aperte demonstrari, quamdiu juris hereditarii Atticorum cognitio tam erit manca tamque lacunosa, qualis hodie est, omnino non poterit. Schoemanni vero et Boorii judiciis non ita multum tribuendum est, propterea quod alter de oratione judicavit, alter permulta ex ea conclusit, priusquam, quae ejus esset natura, quaerendo ac perscrutando satis cognitum esset; id quod apertum est eo, quod uterque eorum et orationem Demosthenis et leges ac testimonia, quae inserta sunt, recta esse duxerunt. Si quis vero ab eo, quod falsum est, proficiscitur, potestne, etiamsi et in judicando et in concludendo tam caute tamque considerate versetur, ut nihil peccet, id quod invenit verum esse? Id nemini in mentem veniet credere. Eo magis autem omnes in meam sententiam discessuros esse spero, si Boorii librum attente perlustraverint. Ut enim oratoris verba aliquo modo inter se congruere videantur et intellegi possint, sumit certa quaedam vocabula ut *οἶκον* compluribus diversis significationibus in oratione usurpata inveniri, quas tamen partim nullo loco ullius attici scriptoris a se firmari posse profitetur[2]). Cum igitur novae verborum significationes sumendae sint, quibus acceptis nihilominus res spinosa atque obscura remaneat, cum omnino omnia, quae Isaei imprimis

1) III, 2, pg. 232.
2) Cf Boorium, de successione ab intestato apud Atticos pg. 11.

orationibus hac oratione neglecta satis confirmata viderentur esse, in animis nostris huic orationi fide habita conturbentur ac misceantur, cui rebus ita se habentibus, cum praesertim oratio ipsa eo ducat, non praeferendum esse videtur sumere, mentiri oratorem et fallere studere judices? Nemini non, equidem credo; nisi forte quis tanto flagrat studio accuratiorem attici juris hereditarii habendi cognitionem, ut idcirco obscuritatem perspicuitati praeferat. Alia optio cum data nobis non sit, id quod melius est, elegisse me censeo. —

At sumamus, ut ne hoc quidem praetereatur, oratorem studere judicibus de re justa atque aequa persuadere. Hoc posito ei nulla jam reliqua est excusatio, sed concedendum est, hominem dicendi prorsus imperitum non minus ad persuadendum apte ejusmodi rem exponere potuisse, quippe quae ita exposita sit, ut, quocunque oculos conjeceris, suspitiones ac dubitationes oriantur in animo tuo. Res cum ita sit, ne somniandum quidem est, Demosthenis esse orationem. —

Altera pars.

Rebus satis consideratis restat, ut etiam de verbis, h. e. de externa orationis forma paulo accuratius dicam. Haec quoque ita comparata est, ut quae dissimilior sit Demosthenis cogitari vix possit. A consideratione orationis quae praecedit haec seposui, de quibus in altera parte dissertationis disputarem, ne nimis multa uno tempore atque uno loco agendo difficilior atque impeditior evaderet disquisitio.

Si quis attente percurrerit orationem, haec praecipue in ea reprehendenda esse existimabit, quod ita eloquitur omnia orator, ut prorsus defatigentur audientes vel legentes. Nonne vero omnes oratores praestantes in elocutione for-

manda perpoliendaque summam collocasse industriam videmus?

Ne fides detrahi possit verbis nostris, iterum nunc perlustrabimus orationem eisque locis, quibus insignia elocutionis vitia deprehendentur, subsistemus et quid insit in eis, quod habeat reprehensionem, demonstrare conabimur.

Jam in primis duabus paragraphis orationis ejusmodi quaedam inveniuntur. Dicit enim *ὑμεῖς τε γὰρ, ὦ ἄνδρες δικασταὶ, ῥᾷον παρακολουθήσετε ἅπασι τοῖς λεγομένοις, καὶ οὗτοι ἐπιδειχθήσονται οἷοί εἰσιν ἄνθρωποι* (*καὶ ὅτι πάλαι ἤδη ἀρξάμενοι οὐδὲν παύονται κακοτεχνοῦντες καὶ οἰόμενοι δεῖν διαπράττεσθαι ὅ τι ἂν ἐπέλθῃ τούτοις*), ubi aut quae uncis inclusi verba omittenda erant aut quae praecedunt *οἷοί εἰσιν ἄνθρωποι* addita particula *καὶ*, ut nihil relinqueretur nisi *καὶ οὗτοι ἐπιδειχθήσονται, ὅτι πάλαι — τούτοις*. Etenim conjunctione *καὶ* conjuncta altera alteris excludi existimaveris. Quibus enim rebus quales sint arguuntur nisi enarrandis eis, quae et fecerunt et faciunt? Quod igitur copulativa conjunctione *καὶ* usus est orator, eo peccavit in leges dialecticae. Cujus quidem leges non violasset, si dixisset *καὶ οὗτοι ἐπιδειχθήσονται οἷοί εἰσιν ἄνθρωποι, οἳ πάλαι ἤδη ἀρξ.* etc., quamquam aliis de causis ne sic quidem comparata oratio valde probaretur. Invenimus enim in proximis *καὶ οὐδὲν παύονται παρανομοῦντες καὶ βιαζόμενοι*. Ergo etiam ne eadem iterarentur haec omitti conveniebat aut certe loco verborum q. s. *οὐδὲν παύονται κακοτεχνοῦντες* etc. alia usurpari decebat. Ad hoc idem genus vitiorum, quibus scatet, ut videbimus oratio, pertinet, quod intra exiguum spatium alterius paragraphi bis legitur *παρακολουθεῖν*: primum in illis, quae jam apposui, iterum in his *δεόμεθα οὖν ὑμῶν, ὦ ἄνδρες δικασταὶ, εὐνοϊκῶς, ἀκροάσασθαι τῶν λεγομένων καὶ παρακολουθεῖν προσέχοντας τὸν νοῦν*, tametsi facillime hic poterat evitari hoc modo: *εὐνοϊκῶς ἀκροάσασθαι τῶν λεγομένων* ceteris omissis, sive retentis solo illo *παρακολουθεῖν* excepto: *ἀκροάσασθαι καὶ τοῖς λεγεμένοις προσέχειν τὸν νοῦν*, sicut satis crebro dictum

est ab oratoribus atticis[1]) et in hac causula privata praeferendum fuisse videtur etiam idcirco, quod simplicius est.

Item in primo illo ambitu satis tolerabili, unde dicendi initium sumit orator *Ἐπειδὴ καὶ πρότερον* ex verbis quae sunt *ἀνάγκη ἴσως ἐστὶ τὰ πραχθέντ᾽ ἐξ ἀρχῆς διηγήσασθαι* illud *ἴσως* aliquid habere offensionis dixeris. Est enim hoc illius, qui rem aliquam non satis habeat perspectam; et recte etiam modestiae causa additur, si quis de rebus quibusdam involutis id quod sentit explicat; quorum neutrum cadit in hunc locum. An oratoris non esse credamus accurate excogitare in unaquaque causa quid dici oporteat? Minime vero. Dicat igitur, quia revera nescit, an non ab initio res enarrari necessarium sit: imprudens habendus est, cum quod ignorat tum quod ignorare se profitetur. Contra probe cognitum habeat, a primo quae facta sunt exponi oportere, nihilominus ut modestus esse videatur, adjiciat: perverse facit, quod est modestus in ea re, qua esse eum minime deceat. Sive igitur orator, quem agimus, in voce *ἴσως* eligenda cur poneret secum reputavit — id quod eum, qualem novi, fecisse vix puto — sive non reputavit, quin verbum parum idoneum elegerit, dubitari non potest.

Ne tertia quidem paragraphus, pg. 1251, caret vituperatione. Sunt ibi verba *Τουτουὶ γὰρ τοῦ παιδὸς ἡ μήτηρ — ἐπεδικάσατο τοῦ κλήρου τοῦ Ἁγνίου κατὰ τοὺς νόμους τοὺς ὑμετέρους· καὶ τῶν τότε ἀμφισβητησάντων αὐτῇ τοῦ κλήρου* (*τουτουὶ*)[2]), *γένει μὲν ὡς ἐγγυτέρω* (*τις*), *εἴη αὐτῶν τῆς γυναικὸς, οὐδ᾽ ἐπεχείρησεν οὐδεὶς ἀντομόσαι* et quae seq. Illud *τουτουὶ* primum, cum proximum sit *τοῦ κλήρου τοῦ Ἁγνίου*, quidni omissum est? Et nonne idem dicendum est de altera voce quae est *αὐτῶν*, in proximis cum exstet *τῶν τότε ἀμφισβητησάντων*? Ac nonne etiam pronomen *τὶς* mirum hic est, cum haud dubie exspectaveris *αὐτός*?

---

1) Cf. Isaeum de Philoct. hereditate V, pg. 57, 2; de Cir. hered. VIII, pg. 69, 4; Dem. in Zenothemin XXXII, pg. 882, 3.

2) Verba, quae agentur, ubique uncis praedita erunt; quod semel monuisse satis sit.

Quae enim est haec sententia: „Et eorum qui tum cum ea de hereditate litigabant, genere propiorem esse aliquem ipsorum quam mulierem, jurejurando affirmare ausus est nemo?“ Nulla! Jam est aliqua sententia in verbis quamvis inepta repudiato pronomine *αὐτῶν*. Sed omne vitium sublatum esset, si scriptum esset *αὐτὸς*, ita ut sententia esset haec: genere propiorem se ipsum esse quam mulierem etc.

Paragrapho quarta cum dicit orator *αἱ δὲ διαθῆκαι, ἃς τότε παρέσχοντο, ἐξηλέγχθησαν ψευδεῖς οὖσαι· (καὶ) οὐ μόνον ἡττήθησαν, ἀλλὰ καὶ πονηρότατοι δόξαντες εἶναι ἀπηλλάττοντο ἀπὸ τοῖ δικαστηρίου* pariter atque in paragrapho altera *καὶ* non apta est sententiis jungendis; quamquam facile ita strui poterant verba, ut continuatio ejus generis nasceretur, in qua nihil inesset, in quo offenderes: „*ὥστ᾽ οὐ μόνον ἡττηθέντες, ἀλλὰ καὶ* etc.“

In paragrapho quinta invenitur *Θεόπομπος ὁ τουτοὶ πατὴρ Μακαρτάτου*, etsi verba quae apposita sunt *ὁ τουτοὶ π. Μ.* minime desiderabantur, cum paulo ante, in paragrapho quarta, Theopompum commemorans addidisset *ὁ τουτοὶ πατὴρ Μακαρτάτου*, ut, si hic dixisset *ὁ Θεόπομπος*, satis scituri fuerint judices, de quo cogitarent. Atqui non modo hic, sed paene tota oratione, ubi Theopompus commemoratur, addita invenies verba *ὁ τουτοὶ π. Μ.* vel similia, id quod eo magis mirere, quo minus de judicum errore cogitare potuit orator, qui tota oratione unius tantum Theopompi mentionem fecit. Ut me verum dixisse appareat, confer pg. 1052, 7; 1053, 13; 1056, 21; 1058, 27; 1058, 28; 1059, 29; 1064, 41; 1068, 55; 1070, 59; 1070, 60. Ex hoc igitur, quod ubi, ne minus perspicuus esset, ei non erat timendum, molestissima diligentia versatus est, satis jam apertum est, teretibus ac religiosis auribus eum quamvis Atheniensem praeditum non fuisse.

Aliud ejusdem rationis in hac ipsa inest paragrapho, quod est in verbis *ὅτι οὐδαμόθεν αὐτῷ προσῆκεν οὐδὲν τοῦ κλήρου (τοῦ Ἁγνίου)*, ubi, cur additum sit *τοῦ Ἁγνίου*, cum et proxime et in tertia paragrapho idem antecesserit, nullam

videmus causam. Neque hic unus est locus, sed ubique, tribus locis pg. 1060, 33; 1073, 67; 1051, 6 bis exceptis additamentum illud cum putidissima servatur constantia, quamquam, quoniam usquequaque eadem agitur hereditas, fieri non potuit, ut judices fallerentur. Evolvas, quaeso, pg. 1052, 7; 1054, 15, qua bis exstat; 1056, 20; 1058, 28; 1059, 31; 1060, 34; 1065, 48; 1066, 49; 1068, 56; 1072, 65; 1073, 69; 1074, 69; 1076, 76; 1077, 77.

At de hac quidem quinta paragrapho satis mihi videor disputavisse; est igitur ultra progrediendum et circumspiciendum, de quo nunc jam dicendum sit. Quod hercle, qua est oratio earum rerum ubertate ac copia, non est diu quaerendum, sed jam proximae paragraphi, 6 et 7, quae una explentur comprehensione, tale quid praebent. Totam hanc appono continuationem: „*ἐχούσης δὲ τῆς μητρὸς τοῦ παιδὸς τουτοὶ τὸν κλῆρον, ἐπειδὴ ἐνίκησεν ἐν τῷ δικαστηρίῳ ἅπαντας τοὺς ἀμφισβητήσαντας ἑαυτῇ*[1]), ‖ *οὕτως εἰσὶ μιαροὶ οὗτοι*, | *καὶ οὐκ οἴονται δεῖν οὔτε τοῖς νόμοις τοῖς ὑμετέροις πείθεσθαι οὔτε τοῖς γνωσθεῖσιν ἐν τῷ δικαστηρίῳ*, | *ἀλλὰ πάντα τρόπον ἐπιχειροῦντες ἀφελέσθαι πάλιν τὴν γυναῖκα τὸν κλῆρον ὃν ὑμεῖς αὐτῇ ἐψηφίσασθε, συνομόσατες καὶ συνθήκας γράψαντες πρὸς ἀλλήλους καὶ καταθέμενοι παρὰ Μηδίῳ Ἁγνουσίῳ, Θεόπομπος ὁ τουτοὶ πατὴρ Μακαρτάτου καὶ Γλαύκων καὶ Γλαῦκος ὁ ἡττηθεὶς τὸ πρότερον, καὶ ἕτερόν τινα τῶν ἐπιτηδείων τέταρτον προσλαβόντες — Εὐπόλεμος ἦν αὐτῷ ὄνομα — οὗτοι ἅπαντες κοινῇ ἐπιβουλεύσαντες προσεκαλέσαντο τὴν γυναῖκα πρὸς τὸν ἄρχοντα εἰς διαδικασιάν τοῦ κλήρου τοῦ Ἁγνίου, φάσκοντες τὸν νόμον κελεύειν παρὰ τοῦ ἐπιδεδικασμένου καὶ ἔχοντος τὸν κλῆρον προσκαλεῖσθαι, ἐάν τις βούληται ἀμφισβητεῖν*, qua quanta fuerit in oratore, quem tractamus, verborum arteficiose struendorum ac describendorum facultas accurate doceamur. Hic perlongus verborum circuitus, quamvis multa sint, propter quae reprehendendus sit et

1) Singula quasi membra primaria, ut perspicuitas augeatur, lineis interpositis distinxi.

quamvis rudis indigestaque moles, ut poetae verbis utar, prima specie esse videatur, tamen multa impensa opera strui potest hoc modo: „Mater autem hujus pueri adversariis omnibus in judicio devictis cum possideret hanc hereditatem, ‖ tam spurci hi fuerunt | neque[1]) aut legibus vestris aut judicum sententiis obtemperare se oportere existimaverunt, | sed omni modo mulierem hereditate, quam vos ei adjudicaveratis, privare studentes, conjuratione facta et pactionibus mutuo initis atque apud Medium Hagnusium depositis, Theopompus hujusce Macartati pater et Glauco et Glaucus, ille antea judicio victus, et alius aliquis ex necessariis accitus quartus, cui nomen erat Eupolemus, hi omnes communiter insidiis factis mulierem ad archontem in judicium de hereditate vocaverunt et quae seq. Totus ambitus primum distributus est in partes duas, protasim et apodosim. Protasis finitur vocabulis *ἀμφισβητήσαντας ἑαυτῇ*, cetera usque ad finem in formam apodosis inclusa sunt. Apodosis deinde in tria enuntiata divissa est, quae, cum sibi adjuncta sint, paribus sunt inter se momentis, quaeque, cum idem subjectum habeant, contracta nominanda sunt, quorum primum efficitur verbis *οὕτως εἰσὶ μιαροὶ οὗτοι*, alterum concluditur verbis *ἐν τῷ δικαστηρίῳ*, tertium initium capit ex verbis *ἀλλὰ πάντα τρόπον ἐπιχειροῦντες*, desinit vocabulo quod est *ἀμφισβητεῖν*. Tempus, ad quod referenda sunt participia tertii enuntiati ex tempore primarii verbi *προσεκαλέσαντο*, cui subjuncta sunt omnia, definitur, ita ut *ἐπιχειροῦντες* et *φάσκοντες* idem significent tempus, quod *προσεκαλέσαντο*, praeteritum, cetera *συνομόσαντες — γράψαντες — καταθέμενοι — προσλαβόντες — ἐπιβουλεύσαντες* tempus aliquod antecedens, h. e. plusquamperfectum. Posteriora duo apodosis enuntiata artius inter se cohaerent, quoniam negationi *οὐκ* adversativa conjunctio

1) Cogita de germanico illo: sei so gut und thue das nicht, proprie sei so gut, dass du das nicht thust. Saepius scriptor usurpat *λέξιν εἰρομένην*, ubi *λέξιν κατεστραμμένην* exspectaveris. Cf. Arist. Rhet. III, 9.

ἀλλὰ respondet; neque sunt dispari ratione, si prius respexeris, cui vi ac natura eorum accuratius considerata consecutiva *ὥστε* subjici debuisse dices. Porro enuntiata secundaria, quae ex participiis *ἐπιχειροῦντες* et *φάσκοντες* pendent, aliis enuntiatis secundariis, quae sunt *ὃν ὑμεῖς αὐτῇ ἐψηφίσασθε* et *ἐάν τις βούληται ἀμφισβητεῖν* amplificata sunt.

Structura ambitus hoc modo satis perspecta, nunc jam possumus quaerere, de eo quid judicandum sit. Vitiosissimus habendus est. Quibus de causis, expositurus sum. Primum igitur protasi et apodosi inter se comparatis, dicendum est nimiam inter eas intercedere magnitudinis dissimilitudinem; protasim perparvam, apodosim prope infinitam esse; id quod maximum peccatum est, quoniam una cum concinnitate omnis tollitur modus et numerus orationis. Deinde vero protasis qualis est? Constat ex duobus quasi membris, quae idem subjectum habent. Ergo secundum leges grammaticorum non poterat uti scriptor constructione genitivi absoluti in altero membro, in altero non; sed ea aut in utroque aut in neutro usurpanda erat, ut aut strueret verba *νικησάσης δὲ τῆς μητρὸς τοῦ παιδὸς ἐν τῷ δικαστηρίῳ ἅπαντας τοὺς ἀμφισβητήσαντας καὶ ἐχούσης τὸν κλῆρον* aut hoc modo *ἐπειδὴ δ' ἐνίκησεν ἡ μήτηρ τοῦ π...... καὶ εἶχε τὸν κλῆρον*. Quod nihilominus immutavit constructionem, vim attulit consuetudini sermonis graeci. Idem peccatum commissit alio loco pg. 1073, 67 *καὶ ἐγκαλεῖν* (scil. *ἔμελε Θεοπόμπῳ καὶ Μακαρτάτῳ*) *ὅτι πολὺν χρόνον ἐχόντων ἑαυτῶν τὸν κλῆρον νυνὶ ἀγωνίζονται*, quo God. H. Schaeferus, quem quidem hic alter lapsus non fefellit, haec adscripsit: „Notabilis catachresis genitivorum absolutorum. Nemo non exspectat *ὅτι πολὺν χρόνον ἔχοντες τὸν κλῆρον νυνὶ ἀγωνίζονται*. Sed vulgata est sanissima."

Priore loco quod posuit *ἐπειδὴ ἐνίκησεν — ἑαυτῇ* praeter hanc etiam ob aliam causam ei vitio vertendum est. Cum enim in proximis, § 4, a muliere victos esse adversarios judicibus exposuerit idque hic sine ulla causa repetat, apertum est, id quod saepius jam notavimus, nullum

in eo fuisse studium brevitatis ac tenuitatis, quod genus dicendi ad hanc causulam privatam futurum fuisse aptissimum quis nescit? Ne plura, ex eo quod idem erratum bis suppetit in oratione, jure nostro concludimus, ne attice quidem loqui scivisse orationis auctorem. Hoc quam non cadat in Demosthenem, quis est nostrum, qui ignoret? —

Tum apodosim si adimus tripartitam, quantum iterum et quam molestum auribus membrorum invenimus discrimen! Quae si inter se comparaveris, primum breve, alterum satis breve, tertium longissimum esse judicabis. Denuo igitur, id quod importunissimum est, nulla statui potest membrorum concinnitas. Itaque cum neque protasis et apodosis, quas, ut auribus et aurium nuntio probentur animo, scimus aequali paene magnitudine oportere esse, concinnae sint, et apodosis quasi membra eodem laborent vitio, fieri non potest, quin totus circuitus pravus atque inconcinnus sit. Cujus quidem rei causa in uno tertio apodosis enuntiato quaerenda est, quod magnitudine ac molestia, quippe quod plus quam duas partes totius expleat comprehensionis, omnem profecto excedit modum. Hoc enim scriptor sine ullo vel aurium vel animi judicio tanta mole verborum, quibus facile salva atque integra sententia carere poterat, cumulavit, ut eo facilitas et perspicuitas comprehensionis penitus sit sublata. Verissimum me hoc dicere neminem arbitror fore, quin vel in ambitu legendo vel etiam audiendo sentiat, licet voce oratoris minui posse difficultatem libenter concedamus. Nisi hoc modo cum fastidiosissima diligentia et sine ulla et pulchri et decori notitia illud *πάντα τρόπον ἐπιχειρεῖν ἀφελέσθαι πάλιν τὴν γυναῖκα τὸν κλῆρον* amplificasset, simulque si evitatis erroribus supra indicatis loco promominis *οὗτοι* illa nomina propria, quae eo significantur, languidissime vero post demum afferuntur, posuisset, nimiis omnibus resectis, circuitus ratio simplicissima esset haec: *ἐχούσης δὲ τῆς μητρὸς τοῦ παιδὸς τὸν κλῆρον, οὕτως εἰσὶ μιαροὶ Θεόπομπος καὶ Γλαύκων καὶ Γλαῦκος ὁ ἡττηθεὶς τὸ πρότερον καὶ ἕτερός τις τῶν ἐπιτηδείων Εὔπόλεμος, ὥστ᾽ οὐκ οἴονται δεῖν πείθεσθαι τοῖς νόμοις, ἀλλὰ πάντα τρόπον*

ἐπιχειροῦντες ἀφελέσθαι πάλιν τὴν γυναῖκα τὸν κλῆρον προσεκαλέσαντο αὐτὴν πρὸς τὸν ἄρχοντα εἰς διαδικασίαν. —

Qui haec scripsit, si eloquendi artem quae perfecti oratoris est, vel mediocriter cognitam habuisset, a struendo ejusmodi quasi dumeto verborum, in quo identidem impeditus haereas, longe profecto afuturus fuit. Ut enim ne unum quidem vocabulorum, quae non artificiose concinnavit, sed inepte cumulavit, omitti potuerit, non ita difficile fuit hunc tam indecorum verborum acervum in duos ambitus sic distribuere, ut viderentur esse tolerabiles, hoc modo: „*νικησάσης δὲ τῆς μητρὸς — καὶ ἐχούσης τὸν κλῆρον, οὕτως εἰσὶ μιαροὶ Θεόπομπος — ὥστ᾽ οὐκ οἴονται δεῖν οὔτε τοῖς νόμοις τοῖς ὑμετέροις πείθεσθαι οὔτε τοῖς γνωσθεῖσιν ἐν τῷ δικαστηρίῳ, ἀλλὰ πάντα τρόπον ἐπιχειροῦσιν ἀφελέσθαι πάλιν — ἐψηφίσασθε. συνομόσαντες τοίνον καὶ συνθήκας γράψαντες — Ἁγνουσίῳ, προσεκαλέσαντο τὴν γυναῖκα πρὸς τὸν ἄρχοντα εἰς διαδικασίαν τοῦ κλήρου, ὡς τοῦ νόμου τοὺς ἀμφισβητεῖν βουλομένους παρὰ τοῦ ἐπιδεδικασμένου καὶ ἔχοντος τὸν κλῆρον προσκαλεῖσθαι κελεύοντος*. Tam dissoluta et dissipata, qualis a scriptore, quem agimus, profecta est continuatio, si sive Quintiliano[1]) sive Aristoteli[2]) ambitum definienti his verbis *λέξιν ἔχουσαν ἀρχὴν καὶ τελευτὴν αὐτὴν καθ᾽ αὑτὴν καὶ μέγεθος εὐσύνοπτον* examimanda proposita esset, ita non puto placituram fuisse, ut non dubitem, quin repudiata ac spreta esset. Tantum igitur abest, ut nobis probari possit, ut inter legendum Horatii illud[3]) 'oratio impedita verbis lassas onerantibus aures' ad hanc appositum nobis dictum esse videatur. —

Judicialis igitur generis oratores[4]) imprimis necesse est studeant brevitati, perspicuitati, vehementiae cuidam animos audientium permoventi ac flectenti. Quae cum ita sint, omnes veros oratores, quibus a natura acutum inge-

---

1) Quintil. IX, 4, 124 q. seq.
2) Aristot. rhet. III, 9.
3) Horat. sat. I, 10, 10.
4) Cf. Quintil. l. cit.

nium atque intellegens judicium datum est, in elocutione secundum has leges indicatas excolenda cum maxima cura et labore versari videmus. In comprehensionibus igitur struendis, praesertim in privatis causis levissimis, qualis haec est, id semper minutissima cavent diligentia, ne justo et aequo longiores sint neve ob id ipsum minus faciles sint intellectu.

Postremum, ut planius, si qua fieri potest, perspiciatur, nullam inter hominis, quem tractamus, et Demosthenis comprehensiones esse similitudinem, exempla aliquot ex prima oratione contra Aphobum tutorem desumpta adscribamus. Hanc potissimum eligo orationem, primum quoniam a Demosthene adulescente, viginti modo annos nato, Isaeo certe nihil adjuvante [1]), confecta est. Etenim si jam in hoc juvenilis aetatis opere comprehensiones descripsit, quas, cum nullam in eis vitiorum genus repereris, omnibus numeris absolutas et perfectas esse existimaveris, nonne absurdum et ridiculum sit statuere, posteriore vitae tempore, multis variisque studiis praeclaro a natura dato ingenio etiam exculto ac perpolito, eum prava et perversa quaedam eloqui potuisse? Ergo cum ex demosthenicis aliquot commemoratae orationis circumscriptionibus considerandis firmissimam nobis facere liceat conclusionem, ad rem satis jam illustrem etiam magis illustrandam paucas quasdam apponendas esse, nemo est quin intellegat. Ex principio orationis pg. 813, 2 haec: *οἶδα μὲν οὖν, ὦ ἄνδρες δικασταί, ὅτι πρὸς ἄνδρας καὶ λέγειν ἱκανοὺς καὶ παρασκευάσασθαι δυναμένους χαλεπόν ἐστιν εἰς ἀγῶνα καθίστασθαι περὶ τῶν ὄντων ἁπάντων, ἄπειρον ὄντα παντάπασι πραγμάτων διὰ τὴν ἡλικίαν. ὅμως δὲ, καίπερ πολὺ τούτων καταδεέστερος ὢν, πολλὰς ἐλπίδας ἔχω καὶ παρ᾽ ὑμῖν τεύξεσθαι τῶν δικαίων καὶ μέχρι γε τοῦ τὰ γεγενημένα διεξελθεῖν καὶ αὐτὸς ἀρκούντως ἐρεῖν, ὥσθ᾽ ὑμᾶς μήτ᾽ ἀπολειφθῆναι τῶν πραγμάτων μηδὲ καθ᾽ ἓν μήτ᾽ ἀγ-*

1) Cf. A. Landahn: Welchen Einfluss hat Isäus auf die demosthenischen Vormundschaftsreden ausgeübt? Gymnasialprogramm Hildesh.-Ost. 1872 pg. 6 u. 7.

νοῆσαι περὶ ὧν δεήσει τὴν ψῆφον ἐνεγκεῖν. Est sane satis longa, quamquam unum tertium illud membrum putidissimum ejus, de quo diximus, est longius: sed cui hoc molestum est? Tanta afficiuntur aures voluptate, ut ne sentiatur quidem, nedum ut vituperetur. Qui fit? Neque in verbis, neque in descriptione, neque in conjunctione, neque in numero quicquam est, quod reprehendatur. Paulo diligentius ut hoc explanemus, primum facillime distinguuntur duo quasi membra, quorum alterum incipit vocabulis *ὅμως δὲ*, ita ut aequali paene sint magnitudine. Praeterea haec quasi membra num magis insignita esse possunt quam quae sibi respondent *μὲν* — *δὲ* particulis? Quarum vel his similium in illa vitiosissima periodo nullum invenitur vestigium. Deinde in utroque membro singulis paene singula relata cernuntur. Primum *οἶδα μὲν οὖν* et *ὅμως δὲ πολλὰς ἐλπίδας ἔχω* non quidem ignoro sed tamen optima spe teneor. Verba inter *ὅμως δὲ* et *πολλὰς ἐλπίδας ἔχω* media interposita *καίπερ πολὺ τούτων καταδεέστερος ὢν*, cum prioris sententiae rationem breviter comprehendant et de dicente Demosthene valere affirment, ad vim particularum *ὅμως δὲ* augendam valde accommodata sunt: sed tamen, quamvis minime his par, optima spe ducor. Deinde praeter primaria verba sibi respondent, quae ex eis pendent et, ut varietur oratio, semel *ὅτι*, semel nominativus cum infinitivo positus est: *ὅτι χαλεπόν ἐστι εἰς ἀγῶνα καθίστασθαι* et *τεύξεσθαι τῶν δικαίων — καὶ αὐτὸς ἀρκούντως ἐρεῖν.* Tum partes horum propter particulas *καὶ* — *καὶ* iteratas similes sunt: *καὶ λέγειν ἱκανοὺς καὶ παρασκευάσασθαι δυναμένους* et *καὶ παρ᾽ ὑμῖν τεύξεσθαι τῶν δικαίων καὶ . . . . ἐρεῖν.* Denique sibi respondent verba *ἄπειρον ὄντα παντάπασι πραγμάτων διὰ τὴν ἡλικίαν* et *ὥσθ᾽ ὑμᾶς μήτ᾽ ἀπολειφθῆναι — ἐνεγκεῖν.* Tum ratio quoque hujus verborum ambitus qualis est? Sententia primaria, ad quam accuratius definiendam et quadrandam ceterae sententiae ita accesserunt omnes, ut aptius atque accommodatius fieri potuisse neges, est haec: spero bonum eventum et ob id ipsum bono animo sum. Huc cum accedat, ut in hac varietate senten-

tiarum, quae idoneo modo inter se conjunctae sunt, summa sit perspicuitas, in ratione quidem ambitus num quid est, quod in crimen voces? Addendum est, singula verba, quae collocata, cum concinnitatem efficerent, ornatum habere jam vidimus, per se spectata, quod et optime sonent et res maxime explanent, eleganter delecta esse dici opertere. Ergo eorum, qui humanas eruditasque aures habent, nemo est, quin, quo saepius ambitum pronuntiet, eo majorem capiat voluptatem: unde aptus, conclusus, numerosus esse arguitur.

Alia circumscriptio ejusdem orationis digna, quae hic afferatur, invenitur pg. 818, § 16: *καίτοι εἰ φανήσεται πρός τε τὸν Δημοχάρην ταῦϑ᾽ ὡμολογηκὼς καὶ πρὸς τοὺς ἄλλους οἳ παρῆσαν, παρά τε τοῦ Δημοφῶντος καὶ τοῦ Θηριππίδου τῶν ἀνδραπόδων εἰς τὴν προῖκα τὰς τιμὰς εἰληφώς, αὐτός ϑ᾽ ἑαυτόν ἔχειν τὴν προῖκα ἀπογράψας πρὸς τοὺς συνεπιτρόπους, οἰκῶν τε τὴν οἰκίαν ἐπειδὴ τάχιστα ἐτελεύτησεν ὁ πατὴρ, πῶς οὐκ ἐκ πάντων ὁμολογουμένου τοῦ πράγματος εὑρεϑήσεται φανερῶς τὴν προῖκα, τὰς ὀγδοήκοντα μνᾶς, κεκομισμένος καὶ λίαν ἀναιδῶς μὴ λαβεῖν ἐξαρνούμενος;* cujus structura quamvis artificiosa adeo tamen dilucida est, ut legere eam et intellegere idem sit. Quomodo hoc fit? Magnitudo ejus non est nimia; protasis et apodosis ea est mensura, ut prior duas comprehendat verborum partes, posterior unam, qua quidem partitione ne teretes quidem aures laeduntur. In protasi, quae disinit verbo q. e. *ὁ πατὴρ*, facile cognoscitur verbum primarium *φανήσεται*, ex quo pendent quattuor quasi membra, participiis q. s. *ὡμολογηκὼς, εἰληφώς, ἀπογράψας, οἰκῶν* aperte indicata, quorum inter se quae sit ratio ostendit quater repetita *τε* particula, cum singulae orationis partes intra ea ut *πρὸς τοὺς ἄλλους* et *τοῦ Θηριππίδου* particula q. e. *καὶ* additae sint. In apodosi contra, quam incipiunt verba *πῶς οὐκ*, praecipuum est verbum *εὑρεϑήσεται*, ex quo duo tantum participia apta sunt, *κεκομισμένος* et *ἐξαρνούμενος* conjunctione *καὶ* inter se connexa, qua uti hic potuit summus orator structura totius periodi non obscurata, quoniam in his duobus

membris nulla est alia pars orationis, quae copulativa conjunctione adjicienda sit. Porro cum eis quae antecedunt apte conjuncta est haec circumscriptio particula q. e. *καίτοι*, ita ut his omnibus accurate perpensis neminem fugiat, verba ejus non modo optime structa, sed etiam ad summam aurium voluptatem collocata esse dici oportere: quae laudes quam non cadant in oratorem de quo agimus nemo est, quin videat. —

Alia pulcherrima et artis plenissima periodus ejusdem orationis demosthenicae legitur pg. 828, paragraphis 47 et 48: *Πῶς οὖν ἄν τις σαφέστερον ἐπιδείξειε πάντα διηρπακότα καὶ μηδὲ τῶν μικρῶν ἀπεσχημένον, ἢ τοῦτον τὸν τρόπον ἐπιδεικνὺς μετὰ τοσούτων μαρτύρων καὶ τεκμηρίων τὴν μὲν προῖκα λαβεῖν ὁμολογήσαντα καὶ ἔχειν αὐτὸν πρὸς τοὺς ἐπιτρόπους ἀπογράψαντα, τὸ δ᾽ ἐργαστήριον κεκαρπωμένον αὐτὸν καὶ τὴν πρόσοδον οὐκ ἀποφαίνοντα, τῶν δ᾽ ἄλλων τὰ μὲν πεπρακότα καὶ τὰς τιμὰς οὐκ ἀποδεδωκότα, πρὸς δ᾽ ὡς ἑαυτὸν λαβόντα καὶ ταῦτ᾽ ἠφανικότα, ἔτι δὲ παρὰ τὸν λόγον ὃν αὐτὸς ἀπέδωκε τοσαῦτα κλέπτοντα, πρὸς δὲ τούτοις τὴν διαϑήκην ἠφανικότα, τἄλλα οὕτω πάντα διῳκηκότα ὡς οὐδ᾽ ἂν οἱ ἔχϑιστοι διοικήσειαν;*

Alia non minus praeclara exstat pg. 832 et 833, paragraphis 60 et 61: *Τοσαύτης τοίνυν οὐσίας καταλειφϑείσης ὅσην ἐξ ἀρχῆς ἠκούσατε, καὶ τοῦ τρίτου μέρους πρόσοδον αὐτῆς φερούσης πεντήκοντα μνᾶς, ἐξὸν τούτοις ἀπληστοτάτοις οὖσι χρημάτων, καὶ εἰ μὴ μισϑοῦν τὸν οἶκον ἐβούλοντο, ἀπὸ μὲν τούτων τῶν προσιόντων, ἐῶντας ὥσπερ εἶχε κατὰ χώραν, ἡμᾶς τε τρέφειν καὶ τὰ πρὸς τὴν πόλιν διοικεῖν, καὶ ὅσα ἐξ αὐτῶν περιεγίγνετο, ταῦτα προσπεριποιεῖν, τὴν δ᾽ ἄλλην οὐσίαν ἐνεργὸν ποιήσασιν, οὖσαν ταύτης διπλασίαν, αὐτοῖς τε, εἰ χρημάτων ἐπεϑύμουν, μέτρια ἐξ αὐτῶν λαβεῖν ἐμοί τε σὺν τοῖς ἀρχαίοις τὸν οἶκον ἐκ τῶν προσόδων μείζω ποιῆσαι, τούτων μὲν οὐδὲν ἐποίησαν, ἀποδόμενοι ἀλλήλοις τὰ πλείστου ἄξια τῶν ἀνδραπόδων, τὰ δὲ παντάπασιν ἀφανίσαντες, ἐμοῦ μὲν ἀνεῖλον καὶ τὴν ὑπάρχουσαν πρόσοδον, σφίσι δ᾽ αὐτοῖς οὐ μικρὰν ἐκ τῶν ἐμῶν κατεσκευάσαντο·* et aliae multae possunt afferri. Quicunque posteriores duas,

quas contuli, cum diligenter legerit tum ut audiat sonum magna voce pronuntiaverit, summa arte compositas esse judicabit. Qua de re cum mihi persuasum sit, jure meo longiore de eis disputatione videor mihi abstinere. His vero locis vere demosthenicis comparatis atque consideratis id effecisse me non spero, sed confido, ut nemo in dubium vocet, jam in Demosthene adulescentulo dicendi artem fuisse tam insignem, quae nullam referat similitudinem ejus scriptoris, de quo ago: id quod ostendere mihi proposueram —

Ad alia venio. Sed neque termini opuscuculo constituti neque exiguitas temporis permittunt, ut eadem utar verborum copia in singulis rebus tractandis, qua hucusque usus sum. Sic igitur agam, ut leviora omnia obiter tantum attingens de majoribus solis uberius exponam. —

Pg. 1052, § 9 haec sunt verba: *καὶ τὸ σόφισμα ἦν τοῦτο, αὐτοὺς μὲν ἑαυτοῖς συναγωνίζεσθαι καὶ ὁμολογεῖν ἅπαντα, περὶ ἡμῶν δὲ λέγειν τὰ οὐδεπώποτε γενόμενα.* Ibi particulam q. e. *μὲν* non esse suo loco, fallit neminem. Nihil enim est, quod opponatur voci, q. e. *αὐτοὺς*, quae non minus ad *λέγειν* quam ad *συναγωνίζεσθαι* referatur. Elucet igitur, collocanda fuisse verba hoc modo: *αὐτοὺς ἑαυτοῖς μὲν συναγωνίζεσθαι — περὶ ἡμῶν δὲ λέγειν* — —.

Quam sit verbosus homo qui orationem scripsit, proxima docet paragraphus, pg. 1053, ubi, si verba *ἐστασίασαν ἀλλήλοις καὶ παρακρουσθέντες ὑπὸ τῆς παρασκευῆς* essent missa facta, neminem arbitror aegre laturum esse. — Idem loquacitatis vitium cernitur pg. 1053, § 12: *ἐκεῖνος γάρ, ὦ ἄνδρες δικασταί, ὁ Εὐβουλίδης, ὁ τῷ Ἁγνίᾳ γένει ὢν ἐγγυτάτω, μάλιστα μὲν ηὔχετο τοῖς θεοῖς υἱὸν αὐτῷ γενέσθαι [ὥσπερ καὶ ἡ θυγάτηρ ἡ τουτουὶ μήτηρ τοῦ παιδὸς αὐτῷ ἐγένετω] ἐπειδὴ δὲ τούτου ἀπέτυχε [καὶ οὐκ ἐγένετο παῖς ἄρρην αὐτῷ οὐδὲ εἷς] μετὰ ταῦτ᾽ ἤδη ἐσπούδαζεν ὅπως ἐκ τῆς θυγατρὸς εἰσποιηθῇ αὐτῷ υἱὸς εἰς τὸν οἶκον τὸν ἑαυτοῦ καὶ τὸν Ἁγνίου, [καὶ εἰς τοὺς φράτερας εἰσαχθῇ τοὺς ἐκείνου,] ἡγούμνος, ὦ ἄνδρες δικασταί, ἐκ τῶν ὑπολοίπων τοῦτον εἶναι ἑαυτῷ οἰκειότατον, καὶ οὕτως ἂν μάλιστα τὸν*

οἶκον τὸν ἑαυτῶν διασώζεσθαι [καὶ οὐκ ἂν ἐξερημωθῆναι], ubi verba cancellis inclusa cur adderentur nulla fuit causa.

Item propter odiosissimam verborum latitudinem taedium nobis creat § 14, pg. 1054, qua quae verba videantur omittenda fuisse aeque ac supra uncis sepio: *καὶ οἱ φράτερες, ὦ ἄνδρες δικασταί, οἱ τουτουὶ Μακαρτάτου, οἱ ἄριστα εἰδότες περὶ τοῦ γένους, ὁρῶντες αὐτὸν μὲν τοῦτον οὐκ ἐθέλοντα κινδυνεύειν [οὐδ᾽ ἀπάγοντα τὸ ἱερεῖον ἀπὸ τοῦ βωμοῦ, εἰ μὴ προσηκόντως εἰσήγετο ὁ παῖς οὑτοσί,] αὐτοὺς δ᾽ ἀξιοῦντα ἐπιορκεῖν, [λαβόντες τὴν ψῆφον καομένων τῶν ἱερείων, ἀπὸ τοῦ βωμοῦ φέροντες τοῦ Διὸς τοῦ φρατρίου, παρόντος τουτουὶ Μακαρτάτου,] ἐψηφίσαντο τὰ δίκαια, ὦ ἄνδρες δικασταί, ὀρθῶς καὶ προσηκόντως τὸν παῖδα τουτονὶ εἰσάγεσθαι Εὐβουλίδῃ υἱὸν [εἰς τὸν οἶκον τὸν Ἁγνίου]*. Sed aliud quoque inest mendum. Minime enim plane dicit, cum dicit *οὐδ᾽ ἀπάγοντα τὸ ἱερεῖον ἀπὸ τοῦ βωμοῦ, εἰ μὴ προσηκόντως εἰσήγετο ὁ παῖς οὑτοσί*; ergo post verba q. s. *ἀπὸ τοῦ βωμοῦ* inferenda fuisse *ὅτι ἔδει αὐτὸν ποιεῖν* quis non videt? Attamen ea, quae sine ullo brevitatis studio, molestissima loquacitate, orator dicit, nimis multa sunt, quam quae ad ejus dicendi consuetudinem illustrandam omnia a me afferantur. Etenim si facere hoc vellem, totam adscriberem orationem oporteret. Quae cum ita sint, duobus aliis exemplis eisque evidentissimis adscriptis de ceteris taceri posse existimo. Qua de re si quis forte aliter sentiet, orationem ipse aggrediens nova exempla facillime inveniet. —

Alterum exemplum scriptum legitur pg. 1055, § 18: *Τὸ μὲν οὖν πρῶτον διενοήθην, ὦ ἄνδρες δικασταί, γράψας ἐν πίνακι ἅπαντας τοὺς συγγενεῖς τοὺς Ἁγνίου, οὕτως ἐπιδεικνύειν ὑμῖν καθ᾽ ἕκαστον· ἐπειδὴ δ᾽ ἐδόκει οὐκ εἶναι ἐξ ἴσου ἡ θεωρία ἅπασι τοῖς δικασταῖς, ἀλλ᾽ οἱ πόρρω καθήμενοι ἀπολείπεσθαι, ἀναγκαῖον ἴσως ἐστὶ τῷ λόγῳ διδάσκειν ὑμᾶς· τοῦτο γὰρ ἅπασι κοινόν ἐστιν· πειρασόμεθα δὲ καὶ ἡμεῖς ὡς ἂν μάλιστα δυνώμεθα διὰ βραχυτάτων ἐπιδεῖξαι περὶ τοῦ γένους τοῦ Ἁγνίου.* Nonne res, quam omnino non commemorari melius fuisse duxeris, multo brevius et nihilo-

minus aperte his verbis exprimi potuit: *Ἐν πίνακι γράψας ἅπαντας τοὺς συγγενεῖς τοὺς Ἁγνίου οὕτως ἐπεδείκνυον ἂν ὑμῖν καθ' ἕκαστον, εἰ μὴ, καίπερ ταῦτα ποιήσαντος ἐμοῦ, οἱ πόρρω καθήμενοι ὑμῶν ἀπελείποντο τῆς θεωρίας. τῷ λόγῳ τοίνυν ὑμᾶς διδάξω?* Sed aliud quoque inest in hac paragrapho, quod reprehendatur: minime sententiae accommodatum est, quod ad vocem q. e. *ἀναγκαῖον* adjectum est *ἴσως*. Etenim, quia, si tabula proponeretur, non par esset omnibus judicibus facultas eam videndi, fieri hoc nequit, sed verbis rem judicibus explanari non fortasse, sed certo necesse est. Omnino totum enuntiatum mihi non probatur. Nam quomodo sic dici potest: „cum autem videretur non esse aequa facultas videndi omnibus judicibus, sed remotiores sedentes carere videndo (scil. viderentur, quia ex verbo q. e. *ἐδόκει*, quod praecedit, *ἐδόκουν* cogitando supplendum est) necessarium fortasse est oratione docere vos"? Nonne haec nimis dissolute dicta sunt? Ejusmodi neglegentia non est bonorum scriptorum atticorum, minime certe oratorum. —

Exemplum alterum autem, quo nullum reperiri possit clarius, exstat maximam partem pg. 1056, paragraphis 19, 20, 21: *Βούσελος γὰρ ἦν ἐξ Οἴου, ὦ ἄνδρες δικασταὶ, καὶ τούτῳ ἐγένοντο πέντε υἱεῖς, Ἁγνίας καὶ Εὐβουλίδης καὶ Στρατίος καὶ Ἅβρων καὶ Κλεόκριτος. καὶ οὗτοι ἅπαντες οἱ τοῦ Βουσέλου υἱεῖς ἄνδρες ἐγένοντο, καὶ διένειμεν αὐτοῖς τὴν οὐσίαν ὁ πατὴρ ὁ Βούσελος ἅπασι καλῶς καὶ δικαίως, ὥσπερ προσῆκεν. νειμάμενοι δὲ τὴν οὐσίαν, γυναῖκα αὐτῶν ἕκαστος ἔγημε κατὰ τοὺς νόμους τοὺς ὑμετέρους, καὶ παῖδες ἐγένοντο αὐτοῖς ἅπασι καὶ παίδων παῖδες, καὶ ἐγένοντο πέντε οἶκοι ἐκ τοῦ Βουσέλου οἴκου ἑνὸς ὄντος, καὶ χωρὶς ἕκαστος ᾤκει τὸν ἑαυτοῦ ἔχων καὶ ἐκγόνους ἑαυτοῦ ποιούμενος. περὶ μὲν οὖν τῶν τριῶν ἀδελφῶν τῶν τοῦ Βουσέλου υἱέων καὶ τῶν ἐκγόνων τῶν τούτοις γενομένων, τί ἂν ἐγὼ ὑμῖν, ὦ ἄνδρες δικασταὶ, πράγματα παρέχοιμι ἢ ἐμαυτῷ, ἐξηγούμενος περὶ ἑκάστου; ὄντες γὰρ ἐν ταὐτῷ γένει Θεοπόμπῳ καὶ προσήκοντες ὁμοίως τῷ Ἁγνίᾳ, οὗ ἐστιν ὁ κλῆρος, οὐδεὶς αὐτῶν οὔτε πρότερον πώποτ' οὔτε νῦν ἠνώχλησεν*

ἡμῖν, οὐδ' ἠμφισβήτησεν οὔτε τοῦ κλήρου τοῦ Ἁγνίου οὔτε τῆς γυναικὸς τῆς ἐπικλήρου, ἣν ἐγὼ ἔχω, ἐπιδικασάμενος, ἡγούμενοι οὐδ' ὁτιοῦν προσήκειν ἑαυτοῖς οὐδενὸς τῶν Ἁγνίου. περίεργον δή μοι δοκεῖ εἶναι λέγειν τι περὶ τούτων, πλὴν ὅσ' ἐξ ἀνάγκης ἐστὶν ἐπιμνησθῆναι. περὶ δὲ Θεοπόμπου τοῦ πατρὸς τοῦ Μακαρτάτου καὶ αὐτοῦ τουτουὶ Μακαρτάτου, περὶ τούτων μοί ἐστιν ἐξ ἀνάγκης λέγειν· ἔστι δὲ βραχὺς ὁ λόγος, ὦ ἄνδρες δικασταί. ὥσπερ γὰρ ὀλίγον τι πρότερον ἀκηκόατε ὅτι τῷ Βουσέλῳ πέντε υἱεῖς ἐγένοντο, τούτων εἷς ἦν Στρατίος ὁ τουτουὶ πρόγονος Μακαρτάτου, καὶ ἕτερος Ἁγνίας ὁ τουτουὶ πρόγονος τοῦ παιδός. Quem non taedeat tantae verborum inutilium multitudinis, tot repetitionum intolerabilium? Quid? Nonne jure tuo affirmaveris, quinta verborum parte omnia, quae necessaria essent, ita dici potuisse, ut perspicuitati nihil deesset? Cum vero orator, qui agitur, has praecipuas leges artis oratoriae tam constanter violet, non modo Demosthenes non haberi, sed ne comparari quidem ullo modo potest cum illo. —

Ad aliud pergo. Pg. 1056, § 21: *ὥσπερ γὰρ — — — τούτων εἷς ἦν Στράτιος* seqq. neglegentius dicta videntur, quam quae diligentem oratorem atticum dixisse deceat. Cum enim verbis, q. s. *ὥσπερ γὰρ ὀλίγον τι πρότερον ἀκηκόατε* quae respondeant *οὕτως νῦν ἀκούετε ὅτι* non sequantur, quidni omissum est *ὥσπερ*, quo sublato planissima est oratio, modo ordo verborum paululum immutetur hoc modo: *ἀκηκόατε γὰρ ὀλίγον τι πρότερον* et quae sequuntur, ut haec sit sententia: audivistis enim paulo ante, Buselo quinque filios natos esse; horum unus erat Stratius q. seq.? Ac censeo hoc praeferendum fuisse oratori graeco, quamquam probe scio, latino licere, ut dicat: sicut enim paulo antea audivistis, a Buselo quinque filios generatos esse, horum unus erat Stratius et cet. —

Pg. 1059, § 31 haec verba continentur: *βούλομαι οὖν, ὦ ἄνδρες δικασταὶ, περὶ ὧν εἴρηκα πρὸς ὑμᾶς, μαρτυρίας παρασχέσθαι, πρῶτον μὲν ὡς ἐνίκησε τοῦ κλήρου τοῦ Ἁγνίου ἡ Εὐβουλίδου θυγάτηρ Φυλομάχη, γένει οὖσα ἐγγυτάτω, ἔπειτα περὶ τῶν ἄλλων ἁπάντων.* In eis plura sunt, quae

offensionem habeant. Primum monendum est, inusitatius dicere oratorem *ὡς ἐνίκησε τοῦ κλήρου ἡ Φυλομάχη*, quod etiam §§ 32 et 33 legitur, quoniam exspectamus *ὡς ἔτυχε νικήσασα τοῦ κλήρου ἡ Φυλομάχη*. Deinde non est rectum, quod dicit scriptor *πρῶτον μὲν*, cum quae respondeat particula *δὲ* frustra quaeras in eis quae sequuntur, sed aut dicendum erat dempta particula *πρῶτον — ἔπειτα* aut particulis additis *πρῶτον μὲν — ἔπειτα δὲ καὶ περὶ τῶν ἄλλων ἁπάντων*. Eadem orationis inconstantia inhaeret paragrapho 36, pg. 1060, qua legimus: *Ἀναγίγνωσκε τὰς μαρτυρίας τὰς ὑπολοίπους, πρῶτον μὲν ὅτι — — —· ἔπειτα τὰς ἄλλας ἁπάσας ἀναγνώσεται περὶ τοῦ γένους*.

In § 38, pg. 1062 insunt verba: *οὗτοι δὲ τά τ' ἄλλα πολλὰ καὶ ἀναίσχυντα παρεσκευάσαντο εἰς τὸν ἀγῶνα, καὶ ἔμελεν αὐτοῖς οὐδενὸς πλὴν τοῦ ἐξαπατῆσαι ἐν τῷ παρόντι τότε καιρῷ τοὺς δικαστὰς, οἵτινες κατεχρῶντο ὡς τῷ Πολέμωνι τῷ πατρὶ τῷ Ἁγνίου τὸ παράπαν οὐδεμία γένοιτο ἀδελφὴ ὁμοπατρία καὶ ὁμομητρία*. Offendo in verbo q. s. *οἵτινες κατεχρῶντο*. Nam quis nostrum, fugitivo tantum oculo hoc enuntiatum perlustrans, non referet pronomen relativum q. e. *οἵτινες* ad quod proximum est nomen *τοὺς δικαστάς*, cum pronomen demonstrativum *οὗτοι*, ad quod referendum est, paulo est remotius, quam de quo statim cogitemus? Nonne vero facile orator evitare potuit hanc offensionem, si aut verba aliter collocasset aut participio *καταχρωμένοις* ad pronomen *αὐτοῖς* quod praecedit relato vel etiam infinitivo *τῷ καταχρῆσθαι* usus esset? Itaque quod non fecit vituperandus est. Accedit quod usurpavit verbum *καταχρῆσθαι*, cui rarissime tantum ea est significatio, quam habet hoc loco, ut sit idem paene quod mentiri. In scriptis, quae Demosthenis nomine feruntur, sic usurpatum, quod sciam, non nisi pg. 1179 orationis in Olympiodorum paragrapho 44 invenitur, ubi sunt verba: *καὶ κατεχρήσατο πρὸς τοὺς δικαστὰς, ὅτι ἐγὼ τὴν οἰκίαν μεμισθωμένος εἴην παρ' αὐτοῦ*. —

Ad alia pergo. Pg. 1065, § 48 leguntur haec verba: *εἰ γάρ τις ἀνακρίνοι, ὦ ἄςδρες δικασταὶ, οὑτοσὶ τίς ἐστὶν ὁ ἀμφισβητῶν τῷ παιδὶ τούτῳ τοῦ κλήρου τοῦ Ἁγνίου; εὖ οἶδ' ὅτι ἀποκρίναιτ' ἂν Μακάρτατος*, quorum sententia haec est: nam si quis quaerat, judices, hic quis est, qui cum hoc puero de Hagniae hereditate litem habet, probe scio, eum responsurum esse, Macartatum esse. Verumtamen nonne inepte dicta sunt haec? Melius ex mea quidem sententia se haberet oratio, si dixisset orator, *εἰ γάρ τις ἀνακρίνοι αὐτὸν, ὦ ἄνδρες δικασταὶ, τίς σὺ εἶ ὁ ἀμφισβητῶν*, quamquam ne sic quidem comparatam laudarem. Quidni enim figura allocutionis usus hunc in modum struxit verba: *εἰ γάρ τις ἀνακρίνοι σε, ὦ Μακάρτατε, σὺ τίς εἶ, εὖ οἶδ' ὅτι Μακάρτατος εἰμὶ ἐγὼ, ἀποκρίναιο ἄν?* Nonne oratio sic immutata multo majorem habet vim ad animos judicum permovendos? Sine dubio. Quod si verum non esset, certe neque Isaeus neque Demosthenes tam saepe urgerent adversarios interrogando ut faciunt. Neque minus usus verbi q. e. *ἀνακρίνειν*, quod ut idem significet iteratur § 49, videtur notandus esse, quandoquidem sic ut hoc loco usurpatum est, ut idem sit quod 'interrogare' vix usquam apud oratores atticos usurpatum inveneris. Contra apud Platonem saepius legitur, ut exemplis utar Conv. 201, E; Ax. 371, C. —

Jam ad alia progredior. Pg. 1067, § 52; 1068, §§ 55 et 56; 1070, § 59 legibus quibusdam recitatis non, quae jubentur eis, considerando ac retractando, tanto clarius ea judicibus ante oculos ponit, sed satis habet affirmavisse, luce clarius esse, meliore se uti jure Hagniae hereditatis possidendae quam adversarium. Quae ratio quam non sit Demosthenis, ut de aliis exemplis permultis taceam, Timocrateae paragraphi 20—70 satis videntur mihi demonstrare.

Etiam § 53, pg. 1067 tale quod vitium deprehenditur, quod a Demosthenis acumine alienissimum sit. Sunt ibi haec verba: *Οὐ τοίνυν, ὦ ἄνδρες δικασταὶ, ταῦτα μὲν ἔδωκεν ὁ νομοθέτης τοῖς προσήκουσι, ἕτερα δ' οὐ προσέταξεν, ἀλλὰ πολλὰ πάνυ ἐστὶν ἃ προστάττει ποιεῖν τοῖς προσήκουσι* et q. seqq. Ostendere vult orator, non solum hereditates legibus dari consanguineis, sed etiam officia satis

gravia eis imponi. Non igitur recte opposuit verbis q. s. *ταῦτα μὲν ἔδωκεν* quae sequuntur verba *ἕτερα δ'οὐ προσέτεξεν.* Nam verbum *προσέταξεν* in altero membro aptum non esse, cum in primo sit *ἔδωκεν*, quis non cernit? Quod non sensisse oratorem eo magis miror, quo facilius est efficere idque eisdem paene verbis retentis, ut recte se habeat oratio? Quinam? quaesiveris haud dubie. Voci q. e. *ἔδωκεν* oppone vocem q. e. *προσέταξιν*, pro vocabulo q. e. *ἕτερα* immuta *οὐδὲν*, ut sententia nascatur haec: *οὐ τοίνυν ἔδωκεν μὲν ταῦτα ὁ νομοθέτης — —, προσέταξεν δ'οὐδὲν*, nihil erit, quod reprehendatur. Recta est oratio pg. 1070, § 62: *καὶ οὐ μόνον δίδωσι τὰ καταλειφθέντα, ἀλλὰ καὶ προστάγματα ποιεῖται τὰ δυσχερῆ ἅπαντα τοῖς προσήκουσιν.*

Non minus mendose loquitur orator pg. 1068, § 56, cum dicit: *καίτοι πῶς οἴεσθε, ὦ ἄνδρες δικασταὶ, ἄτοπον εἶναι τῆς μὲν ἐπικλήρου, ἣ ἦν Ἁγνίᾳ ἀνεψιοῦ παῖς πρὸς πατρὸς, ταύτης μὲν μηδεπώποτ' ἀμφισβητῆσαι Θεόπομπον, τὸν δὲ κλῆρον τὸν Ἁγνίου ἀξιοῦν ἔχειν παρὰ τοὺς νόμους;* Nemo enim dubitare potest, quin aut *καίτοι πῶς ἄτοπόν ἐστιν, ὦ ἄνδρες δικασταὶ* et quae seqq. aut quod praetulerim, *καίτοι πῶς οὐκ οἴεσθε ἄτοπον εἶναι* q. sq. ei fuerit scribendum. — Neque magis probari potest, quod orator propter pauca interposita verba pronomen, quod est *ταύτης*, addi necessarium duxit.

Simile peccatum inest in verbis paragraphi 61, pg. 1070: *ἔστι δ'ὁ νῦν ἀγὼν καὶ ἡ διαδικασία οὐκ εἴ τις ἕτερος ἑτέρου πρότερος ἢ ὕστερος τετελεύτηκεν, ἀλλ' εἰ μὴ προσήκει ἐξελαθῆναι ἐκ τοῦ οἴκου τοῦ Ἁγνίου τοὺς οἰκείους τοὺς Ἁγνίου, ἀνεψιοὺς ὄντας καὶ ἀνεψιῶν παῖδας Ἁγνίᾳ πρὸς πατρὸς, ὑπὸ τῶν ἐκ τοῦ Στρατίου οἴκου καὶ μηδὲν προσηκόντων ὥστε κληρονομεῖν τῶν Ἁγνίου, ἀλλὰ γένει ἀποτέρω ὄντων.* Certe aliam causam, cur non dixerit orator particula q. e. *μὴ* omissa *ἀλλ' εἰ προσήκει ἐξελαθῆναι — τοὺς οἰκείους*, investiges nullam nisi hanc, elegantiore judicio hominem caruisse. Num hoc cadit in Demosthenem?

Paragraphus 64, pg. 1071 haec habet verba: *ταύτας κελεύει* (sc. *ὁ νόμος*) *τὰς προσηκούσας καὶ παρεῖναι τῇ*

προθέσει τοῦ τετελευτηκότος καὶ ἐπὶ τὸ μνῆμα ἀκολουθεῖν, οὐ τὴν Μακαρτάτου μητέρα οὐδὲ τὴν Θεοπόμπου γυναῖκα· οὐδὲν γὰρ προσήκουσιν Ἁγνίᾳ αὗται, ἀλλ' ἦσαν ἐξ ἑτέρας φυλῆς Ἀκαμαντίδος καὶ ἐξ ἑτέρου δήμου Προσπαλτόθεν, ὥστε τὸ παράπαν οὐδ' ᾔσθοντο ὅτε ἦν τετελευτηκὼς Ἁγνίας. Hic ferri non potest, quod orator praesenti tempore q. e. *προσήκουσιν* praecedente paulo post infert *ἦσαν*, quod est imperfectum, cum haec temporum immutatio nimis subita esse videatur. — Transeo ad paragraphum 65, quae maximam partem scripta est pg. 1072 et verba continet haec: *ὑπεραναίσχυντον δὴ οὗτοι κατασκευάζουσι πρᾶγμα, ὡς ἄρα δεῖ ἡμᾶς καὶ τὰς γυναῖκας τὰς ἡμετέρας τοῦ μὲν σώματος τοῦ Ἁγνίου, ὅτ' ἐτετελευτήκει κληρονόμους εἶναι καὶ ποιεῖν ἅπαντα τὰ νομιζόμενα, ὡς προσήκοντας καὶ γένει ὄντας ἐγγυτάτω· τὸν δὲ κλῆρον οἴεσθαι δεῖν ἔχειν τὸν Ἁγνίου τοῦ τετελευτηκότος Μακάρτατον, ἐκ τοῦ Στρατίου οἴκου ὄντα καὶ ἐκ τῆς Ἀπολήξιδος τοῦ Προσπαλτίου θυγατρὸς, Μακαρτάτου δ'ἀδελφῆς.* Hujus enuntiati structuram vocabulis q. s. *οἴεσθαι δεῖν* illatis turbari, neminem fugiet, qui accuratius id perlegerit. Pendet enim ex verbo q. e. *δεῖ* duplex accusativus cum infinitivo, *ἡμᾶς καὶ τὰς γυναῖκας τὰς ἡμετέρας τοῦ μὲν σώματος κληρονόμους εἶναι* et *τὸν δὲ κλῆρον ἔχειν Μακάρτατον*, qua in constructione verbis q. s. *οἴεσθαι δεῖν* nihil prorsus est loci. Quod nihilominus intulit orator, vitium est. Nam oratores attici praestantes illi in id genus rebus non erant neglegentes, sed accuratissimi ac limatissimi, propterea quod qualem haberent populum auditorem probe sciebant. —

Pg. 1073, § 67 quae leguntur verba: *Ἀκούετε, ὦ ἄνδρες δικασταὶ, ὅτι ταὐτὰ λέγει ὅ τε Σόλων ἐν τοῖς νόμοις καὶ ὁ θεὸς ἐν τῇ μαντείᾳ κελεύων τοῖς κατοιχομένοις ποιεῖν τοὺς προσήκοντας ἐν ταῖς καθηκούσαις ἡμέραις* ne plane quidem dicta sunt. Quis enim eis perlectis non quaeret, quaenam ea sint, quae et lex et deus mortuis propinquos constitutis illis diebus facere jubeat? Quae obscuritas certe eo magis vituperanda est, quo facilius evitari potuit; quod

una voce q. e. *τὰ νομιζόμενα* (collata paragrapho 65) post verbum *ποιεῖν* addita effici potuit. —

Pg. 1075, § 72 non recte se habent verba: *ὁ δὲ νόμος ἀπαγορεύει μηδ᾽ ἐκ τοῦ αὐτοῦ χωρίου, τοῦ πατρῴου, μηδὲν τούτων ποιεῖν*, quae referuntur ad ea, quae in proximis actor narravit judicibus, Theopompum magnum numerum olearum in agris Hagniae mortui excidisse. Nam cum praecedant vocabula q. s. *μηδ᾽ ἐκ τοῦ αὐτοῦ χωρίου, τοῦ πατρῴου*, sequi non posse *μηδὲν τούτων ποιεῖν*, quoniam *ποιεῖν* minime quadrat ad praepositionem q. e. *ἐκ*, quis non videt? Aut igitur oratori praepositio *ἐν* usurpanda erat, aut verbum ad praepositionem *ἐκ* aptum eligendum hoc modo: *ὁ δὲ νόμος ἀπαγορεύει μὴ ἐξελεῖν* (vel *ἐξαιρεῖν*) *τὰς ἐλάας, μηδ᾽ ἐκ τοῦ αὐτοῦ χωρίου, τοῦ πατρῴου*. Oratorum enim est vel minutissimas res summa tractare diligentia. —

Neque minus abhorret ab oratorum usu dicendi illud *πρώτιστον*, quod § 75, pg. 1076 scriptum videmus: *καὶ πρώτιστον μὲν τὸν νόμον τουτονὶ ἀνάγνωθι*. Non est illud Demosthenis, sed invenitur tantum orationis, quae est adversus Olympiodorum, paragrapho 33, pg. 1176. —

Ne proxima quidem § 76, partim pg. 1076 partim pg. 1077 exstans, vituperatione caret. Proprium est hoc ipsum scriptoris, quem tracto, ut saepenumero legentibus commorandi et mirandi faciat potestatem. Ibi verba sunt haec: *Πῶς ἂν οὖν μᾶλλον ἐξερημώσαιεν ἄνθρωποι οἶκον, ἢ εἴ τινες τοὺς γένει ὄντας ἐγγυτάτω Ἁγνίᾳ, τούτους ἐξελαύνοιεν ἐξ ἑτέρου οἴκου ὄντες, τοῦ Στρατίου; καὶ πάλιν εἰ τὸν μὲν κλῆρον ἀξιοῖ ἔχειν τόν Ἁγνίου ὡς γένει προσήκων, τὸ δ᾽ὄνομα, ὅ ἐστιν αὐτῷ, μὴ ὅτι ἐκ τοῦ Ἁγνίου οἴκου, ἀλλ᾽ οὐδ᾽ ἐκ τοῦ Στρατίου ἐστὶ τοῦ ἑαυτοῦ προγόνου, οὐδ᾽ ἐκ τῶν ἄλλων ἀπογόνων τῶν Βουσέλου, τοσούτων γενομένων, οὐδενὸς ἔχει τὸ ὄνομα.* Quae qui percurrerit legendo, multa obstare, quominus recte dicta esse judicentur, minime negabit. Nam quae est haec sententia: „Quomodo autem magis devastent atque exstinguant homines domum, quam si qui genere proximos Hagniae, hos ejiciant ex alia prognati domo, Stratii? Ac porro si hereditatem quidem

Hagniae habere cupit, agnatum se ejus esse affirmans, nomen vero, quod est ei, non eum ex Hagniae domo, sed ne Stratii quidem avi ejus natum esse, neque ceterorum Buseli posterorum, qui tot fuerunt, nullius habet nomen?“ Nulla est. Jam igitur apparet, verba sic comparata ut sunt tolerari non posse. Sed quinam hoc fit? Quae vitia in eis aperta deprehenduntur? In priore enuntiato eo peccat orator, quod incipit dicere de universo genere neque sibi constat, sed redit ad propositam partem nominibus q. s. Hagnias et Stratius, illatis, quare sententia oblitteratur tota. Nam quae exprimuntur verbis q. s. *ἢ εἴ τινες — Στρατίου*, ea non c o g i t a r i tantum, quod unum significat optativus *ἐξελαύνοιεν*, sed revera f a c t a esse putari vult orator. Verumtamen ut emendata esset oratio, haud ita difficile fuisse effectu demonstrabo. Duae inter se diversae viae iniri poterant ab oratore ad id assequendum hoc modo: aut *πῶς ἂν οὖν μᾶλλον ἐξερημώσαιεν ἄνθρωποι οἶκον, ἢ εἰ τοὺς γένει ὄντας ἐγγυτάτω τινὶ ἐξελαύνοιεν ἐξ ἑτέρου οἴκου ὄντες; τοῦτό γε δὴ πεποιήκασιν οὗτοι;* aut *πῶς ἂν οὖν μᾶλλον ἐξερημώσαιεν οὗτοι τὸν οἶκον τὸν Ἁγνίου, ἢ εἰ τοὺς γένει ὄντας ἐγγυτάτω Ἁγνίᾳ ἐξελαύνουσιν ἐξ ἑτέρου οἴκου ὄντες* dicere potuit. — Jam videndum est de posteriore enuntiato *καὶ πάλιν — — — τὸ ὄνομα* quid judicandum sit. Primum animadvertendum est, oratori, ut obscuritatem evitaret, post verba q. s. *ὡς γένει προσήκων* nomen q. e. *ὁ Μακάρτατος* addendum fuisse, ne incerti essemus, quae persona enuntiationi subjecta intellegenda esset, eo magis, quod in proximis in universum dixerat. Alterum praeterire non potest lectorem diligentius indagantem, verbum ad nomen q. e. *τὸ ὄνομα* aptum desiderari, ex quo pendeant verba *μὴ ὅτι — — ἐστί*. Tale quod verbum *ἐπιδεικνύειν* existimaverim, quod post vocabula q. s. *τοῦ ἑαυτοῦ προγόνου* infero. Tertium accedit, quod dissolute adjecta sunt *οὐδενὸς ἔχει τὸ ὄνομα*, cum, ut arto inter se vinculo tenerentur verba, particulam *γὰρ* adjici fuerit necesse. His mutationibus acceptis sic constituuntur verba: *καὶ πάλιν* (hic videlicet vocabula *πῶς ἂν οὖν μᾶλλον ἐξερημώσαιεν οὗτοι τὸν οἶκον τὸν*

Ἁγνίου ἢ cogitando supplenda sunt) *εἰ τὸν μὲν κλῆρον ἀξιοῖ ἔχειν τὸν Ἁγνίου ὡς γένει προσήκων ὁ Μακάρτατος, τὸ δ' ὄνομα, ὅ ἐστιν αὐτῷ, μὴ ὅτι ἐκ τοῦ Ἁγνίου οἴκου, ἀλλ' οὐδ' ἐκ τοῦ Στρατίου, ἐστὶ τοῦ ἑαυτοῦ προγόνου ἐπιδεικνύει — — —, οὐδενὸς γὰρ ἔχει τὸ ὄνομα*, quae strui posse ex grammaticae legibus negari non potest, tametsi longe alia sunt ac quae laudabilia esse ducantur. De argumentorum autem, quae eis inclusa sunt, levitate monere non quadrat in hunc locum. Verbis hujus paragraphi hunc in modum examinatis minime vacuam esse orationem vitiis denuo evidentissime probatum est. Sed num hoc genus orationis vitiosae Demosthenis est? —

Etiam insequentes §§ 77 et 78, pg. 1077 habent, in quo vehementer offendamus. Argumentum earum hoc est: *ἀλλὰ πόθεν δή ἐστι τὸ ὄνομα ὁ Μακάρτατος; ἐκ τῶν πρὸς μητρός. εἰσεποιήθη γὰρ οὗτος εἰς τὸν οἶκον τὸν Μακαρτάτου τοῦ Προσπαλτίου, ἀδελφοῦ ὄντος τῆς μητρὸς τῆς τούτου, καὶ ἔχει καὶ ἐκεῖνον τὸν οἶκον. καὶ οὕτως ἐστὶν ὑβριστης ὥστε γενομένου αὐτῷ υἱέος τοῦ μὲν εἰσαγαγεῖν εἰς τὸν οἶκον τὸν Ἁγνίου υἱὸν τῷ Ἁγνίᾳ ἀπελάθετο, καὶ ταῦτ' ἔχων τὸν κλῆρον τὸν Ἁγνίου καὶ φάσκων πρὸς ἀνδρῶν αὐτῷ προσήκειν· τοῦτον δὲ τὸν υἱὸν τὸν γενόμενον τῷ Μακαρτάτῳ εἰσπεποίηκε τῷ πρὸς μητρὸς εἰς τοὺς Προσπαλτίους, τὸν δὲ Ἁγνίου οἶκον εἴακεν ἔρημον εἶναι τὸ τούτου μέρος·* Quis nostrum non valde miretur his ultimis verbis ex paragrapho 78 desumptis? Etenim qualis est haec oratio: „hunc autem filium Macartato natum propinquo a matre in familiam Prospaltensium adoptandum dedit (scil. Macartatus), Hagniae vero domum exstingui passus est quantum per eum stetit? Nonne verba q. s. *τὸν υἱὸν τὸν γενόμενον τῷ Μακαρτάτῳ*, cum de ipso Macartato haec praedicentur, tam mira atque inaudita videntur, ut interpreti alicui otioso deberi censere possis? Nihil enim exspectamus aliud nisi *τοῦτον δέ*, ad quod pronomen, si nondum satis videbatur definitum esse, addi potuisse vocabula q. s. *τὸν υἱὸν τὸν ἑαυτοῦ* arbitramur. At de interpretis additamento, quod ex margine in ipsa verba scriptoris irrepserit, quae est

eximia bonitas codicis Σ cogitare non licet. Ergo hoc quoque est peccatum oratoris Demosthenis dissimillimi.

De singulis locis vitiosis haec disputavisse satis habeo. Postremo moneo foedissimis hiatibus abundare orationem contra Macartatum et hac quoque re originem ejus non demosthenicam indicari. Quamquam enim Demosthenes non tantam posuit curam in evitandis vocalium concursationibus, quantam Isocrates, tamen non nullam, sed satis magnam eamque in orationibus diversi generis diversam. In contionibus et in orationibus judicialis generis publicis magna, in privatis minore diligentia fugit hiatus, h. e. cavet tantum, ne graviores admittantur. Gravium autem hiatuum ex hac oratione multitudo tanta colligi potest, ut evidens sit, eum, a quo conscripta sit, eorum vitandorum consuetudinem non habuisse. Hujus rei veritatem concedes, simulatque partem aliquam orationis fugitivo tantum oculo percurreris. Cum apud Benselerum in libro, qui est de hiatu in oratoribus atticis (Freiberg. 1841) pg. 137 et 138, hiatus omnes, qui ad genus hoc vitiosius pertinent, in unum locum collati sint, pauca tantum exempla appono Pg. 1050, § 1 *ἀνάγκη ἴσως*; pg. 1050, § 2 *οὗτοι ἐπιδειχθήσονται οἷοί εἰσιν — — πάλαι ἤδη ἀρξάμενοι οὐδὲν* etc.; pg. 1051, § 3 *γένει οὖσα ἐγγυτάτω Ἁγνίᾳ — εἴη αὐτῶν — εἶναι ἤ*; pg. 1051, § 5 *ἑαυτῷ ἐδίκασεν*; pg. 1051 et 1052, § 6 *ἐπειδὴ ἐνίκησιν — δικαστηρίῳ ἅπαντας — μιαροὶ οὗτοι — αὐτῇ ἐψηφίσασθε*; pg. 1052, § 7 *Μηδείῳ Ἁγνουσίῳ — αὐτῷ ὄνομα — οὗτοι ἅπαντες κοινῇ ἐπιβουλεύσαντες — βούληται ἀμφισβητεῖν* etc. —

Hic finem facio disputandi, non quo existimem, me jam omnia attulisse, quae afferri possint, sed quia in ea sum sententia, me ea saltem proposuisse, quae et gravissima et praeter cetera necessaria sint, si quis de oratione aliqua judicium facere voluerit. Spero me dissertatione mea omnibus persuasisse, orationem contra Macartatum a Demosthene profectam esse non posse.
